



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Quæstio Ultima. De impedimentis, & dispensationibus matrimonialibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

QUÆSTIO ULTIMA.

De impedimentis, & dispensationibus matrimonialibus.

ET si pleraque de impedimentis matrimonij, in suis quæque titulis, jam præmissa sint, in quantum de illis hoc libro agitur; quia tamen complura sunt, quæ ad meliorem eorum notitiam plurimum juvant, imò necessaria sunt, præsertim, ubi, ut solet, occurrit casus petendæ quandoque dispensationis ex causis valdè relevantibus: ideo divisâ hac quæstione, primâ parte de impedimentis; alterâ, de dispensationibus matrimonialibus aliquid adhuc dicendum venit.

PARS I.

De Impedimentis Matrimonialibus.

1873. Impedimentum in genere est, quod alicui præstat obicem, ne illo stante id, quod facere intendit, vel validè fiat, aut saltem facere liceat. Hinc impedimenta matrimonij sunt in duplici classè; alia, quibus stantibus matrimonium quidem validè, sed non licitè fit; & hæc dicuntur *impedientia tantum*; alia, quibus stantibus nec validè, nec licitè; & hæc sunt *dirimentia*.

ARTICULUS I.

De potestate statuendi impedimenta matrimonij.

1874. Cùm ex Trid. *sess. 24. can. 1.* constet, matrimonium fidelium esse unum ex 7. Sacramentis novæ legis, à Christo Domino institutis; & nec ab Ecclesia novum Sacramentum institui posse, aut aliquid mutari quoad substantiam, atque adeò circa materiam, & formam eorum, ut patet ex eod. Trid. *sess. 21. de Commun. c. 1. ibi: salva illorum substantiâ*: merito dubitari potest de potestate statuendi impedimenta matrimonij, ea saltem, quæ tangunt valorem, consequenter substantiam, hujus Sacramenti.

§. I.

An Ecclesia possit statuere impedimenta matrimonij?

1875. Possè impedimenta statuere, solùm *impedientia*, extra dubium est; tum quia hæc non tangunt substantiam Sacramenti; tum quia quisvis etiam homo, matrimonij contractum sibi licitè interdicare
Tom. IV.

potest, voto, religionis ingressu, &c. Nee dubium est, Ecclesiam posse disponere circa ea, quæ pertinent ad ritus, & modum administrandi, & celebrandi Sacramenta, sed salvâ illorum substantiâ; difficultas est de impedimentis dirimentibus, vi quorum invalidè celebrantur, v. g. personam inhabilitando, vel ad hoc, ut contractus valeat, certas condiciones, sine quibus non, apponendo. Et tametsi non defuerint, qui existimarent, nec ab Ecclesia cum suo capite, posse statui ejusmodi impedimenta; cùm Ecclesia, sicut non potest instituire nova Sacramenta, sic nec possit aliquid mutare circa substantiam eorum; id autem contingeret, si statueret impedimenta dirimentia: tamen indubitatum nunc est, Ecclesiam id omnino posse, ut constat ex Trid. *sess. 24. can. 4.* ubi anathema dicitur, qui dixerit *Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonij dirimentia*; id, quod etiam liquet ex ipso factò plurium impedimentorum dirimentium, quæ jure solum Ecclesiastico constituta sunt, prout colligi potest, cùm supra de singulis egimus in particulari sub suis titulis.

Sed dices. 1. ad valorem Sacramenti 1876. matrimonij olim non requirebatur præsentia Parochi, & testium; consequenter materia valida erat solus consensus contrahentium; hic autem ex constitutione Ecclesiæ, sine illorum præsentia nunc non valet; ergo jam est alia materia, quam olim Christus instituerit; ergo, cùm hæc mutatio sit ex solâ constitutione Ecclesiæ, ab Ecclesia mutata, & variata est materia Sacramenti; hoc autem non potest Ecclesia, ergo non potest statuere nova impedimenta matrimonij dirimentia. Ad hoc resolvendum ex dictis in tractatu Theologico de Sacramentis, supponendum. 1. certum esse, quòd Ecclesia nequeat aliquid immutare circa substantiam Sacramentorum, atque adeò circa materiam, & formam; cùm hæc formaliter pertineant ad eorum substantiam; habetur enim expressè in Trid. *sess. 21. c. 2.* ubi declarat, *in Ecclesia fuisse perpetuò potestatem, ut in Sacramentorum dispensatione,*
Nnn 2 ne,

ne, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, que magis iudicaret expedire, ubi nota, ly salva illorum substantia: ergo hæc non est relicta arbitrio Ecclesiæ.

1877. Supponendum. 2. triplicem esse determinationem materiæ & formæ. 1. in individuo, si nimirum pro Sacramento baptismi v. g. determinasset certam aquam in individuo, e. g. aquam Jordanis. 2. in specie, ut si pro eodem determinasset hanc speciem aquam v. g. naturalem, seu elementarem. 3. solum in genere, ut si pro materia ordinis voluisset adhiberi aliquod signum externum collationis potestatis, qualecunque demum deinde ulterius eligeretur, sive impositio manuum, sive porrectio libri, &c.

1878. Supponendum. 3. tunc determinari materiam Sacramentorum, quando designantur certa rerum prædicata, quæ ad hoc, ut sint materia talis Sacramenti, in ijs rebus esse debeant. Sic enim, si à Christo materia baptismi in specie solum determinata est, designando pro materia hujus Sacramenti aquam naturalem, seu elementarem, quidquid habet, & quamdiu habet hoc prædicatum aque elementaris, erit idonea materia baptismi; & si tale prædicatum vel non habet, vel si habet, sed habere definit, etiam definit esse idonea materia hujus Sacramenti.

1879. Supponendum. 4. dupliciter intelligi posse, quòd quis mutet materiam Sacramenti. 1. formaliter, cum pro prædicato à Christo prius designato designat aliud conveniens rebus diversis à prioribus. Ut si quis vellet pro materia baptismi, vinum adhiberi. 2. materialiter, quod fit, si quis faciat solum, ut res amittat prædicatum à Christo designatum; sic quando vinum fit acetum, amittit prædicatum vini, prius à Christo designatum pro idonea materia Sacramenti Eucharistiæ.

1880. Supponendum. 5. prædicatum, sub quo Christus de facto designavit materias Sacramentorum, aliquando esse physicum (sic in baptismo est prædicatum aque elementaris fluidæ; in Eucharistia panis triticæ, & vinum de vite) aliquando autem solum morale. Tale in confirmatione est *Christus consecratum ab Episcopo*; in extrema unctione *oleum ab illo benedictum*; in penitentia, peccata hominis subditi,

in quem Sacerdoti cum absolventi collata sit jurisdictio.

Supponendum. 6. sicut diximus, eam rem esse à Christo formaliter determinatam pro materia certi Sacramenti, quæ habet illud prædicatum, vel physicum, vel morale, sub quo illam Christus designavit; ita dicendum esse, ea verba à Christo determinata esse pro forma, quæ habent significationem, & sensum, sub quo Christus illa designavit. Hinc, ut quis habeat potestatem formaliter mutandi, vel materias, vel formas, Sacramentorum, deberet posse facere, ut aliquid habens prædicatum à Christo designatum, non amplius esset idonea materia vel forma talis Sacramenti, vel econtra.

Supponendum. 7. quòd Christus non ita determinaverit Sacramentorum materiam, ut in omnibus determinaverit vel speciem infimam, vel genus proximum, sed in quibusdam solum speciem infimam; in alijs autem solum genus remotum, relicta Ecclesiæ potestate determinandi speciem. Nam. 1. materiam pro Sacramento ordinis Christus solum determinavit in genere, volens adhiberi rem aliquam sensibilem, quæ foret signum potestatis, quæ per talem ordinem confertur; alijs enim nunc non confertur validè Sacerdotium, & Diaconatus; quia nunc non adhibetur eadem materia in specie, quæ olim. Prius enim adhibebatur sola manus impositio, ut habetur in Concilio Carthag. 4. can. 3. & 4. nunc verò adhibetur in ordinatione Sacerdotis porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia; in ordinatione autem Diaconi porrectio libri Evangeliorum.

Similiter alia materia adhibetur in Ecclesia Græca, alia in Latina pro Sacramento ordinis, consentiente, & approbante id ipsum summo Pontifice. Patet hoc ex bulla Clem. 8. edita anno 1591. 31. aug. & incipiente: *Sanctissimus*, ubi sic habet ex sententia Congregationis pro reformatione Græcorum: *decrevit, declarat, mandat, constituit*, Romanæ habendum esse Episcopum Græcum, Catholicum, qui Græcos Latinis Italiæ, & Insularum adiacentium subiectos, ab Episcopo Græco ordinari volentes

volentes, cum illorum dimissoriis ad id tantum concedendis, ritu Græco ordinet. Denique, licet pro materiâ Eucharistiæ determinatus sit panis, & vinum; tamen sub his juxta multorum sententiam dantur diversæ species: ergo non determinavit Christus pro materiâ omnium Sacramentorum semper speciem, sed duntaxat genus. Deinde in alijs expressè determinavit materiâ secundum speciem, ut patet in baptismo, cujus materiâ esse voluit aquam elementarem; hæc enim sola dicitur aqua simpliciter, & sine addito.

Supponendum. 8. materiâ Sacramentorum sic à Christo determinatam esse, ut nisi secundum ejus determinationem adhibeatur, nullum fiat Sacramentum. Patet. 1. ex decreto Eugenij, ubi, postquam retulit pro materiâ singulorum sacramentorum certas, & determinatas res, illico addit: *quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum*, sed res illæ ibi relatæ sunt determinatæ determinatione Christi, cum ex dictis Ecclesiâ determinationem Christi variare non possit, & defectu horum sacramentorum institutionem formalem non habuerit, ut patet ex Trid. relato suprâ: ergo. 2. quia, cum res, & verba, suam vim sacramentaliter significativam non habeant, nisi à Christo, nisi ponatur materiâ, & forma, secundum quod ea Christus voluit esse signa infallibilia, & practica gratiæ, non ponitur Sacramentum; quia non ponitur pars intrinseca, & signum infallibile, ac practicum gratiæ; sed nisi ponatur materiâ pro ut à Christo determinata, non ponitur signum infallibile, ac practicum gratiæ: ergo nec sacramentum; his præmissis.

1885. Sequitur 1. materiâ, & formam sacramentorum non posse mutari ab Ecclesiâ *mutatione formali* pro arbitrio. Est communis, & patet. 1. ex Trid. relato supra. Nam omnis mutatio, quæ in sacramentis fieri potest ab Ecclesiâ, debet esse, *substantiâ sacramentorum*; sed si Ecclesiâ pro arbitrio possit mutare, *mutatione formali*, materiâ & formam sacramentorum, non faceret eam mutationem salvâ substantiâ sacramenti: ergo. 2. quia si posset Ecclesiâ sic mutare, deberet quælibet res, vel quælibet verba, quæ prioribus substitueret, infallibiliter, & practice significare gratiam: hoc autem

dici non potest; quia cum res, & verba ex se non habeant connexionem cum gratia, nequeunt eam infallibiliter, & practice significare, nisi illa, de quibus Deus revelavit, quod illis positis, & exhibitis, velit ex opere operato (hoc est rite factu) conferre gratiam. Deus autem non revelavit se id facturum exhibitis rebus, & verbis, quæ homines, vel Ecclesiâ exhibitu substituerint; sed solum, si hæc & illa; ergo. Min. constat, quia revelationes, quas habemus ex Scriptura, & Patribus, nihil tale enuntiant: ergo.

Sequitur. 2. esse in potestate Ecclesiæ, 1886. variare materiâ Sacramentorum *variatione solum materiali*. Nam hoc possunt etiam causæ naturales; quando enim *vinum* corrumpitur, & transit in acetum, vel alio liquore sic permiscetur, ut desinat esse *vinum usuale*, materiâ Eucharistiæ materialiter variatur secundum dicta n. 1879. sed illud facere possunt etiam causæ naturales, ergo etiam libera, consequenter etiam Ecclesiâ.

Ex hoc &c. pro sacramento matrimonij institutum esse in materiâ ejus sacramenti, consensum mutuum contrahentium sub hoc prædicato, *quod sit contractus legitimus*. Hinc, ut rectè notat Suarez hic D. 2. S. 6. Christus pro Sacramento matrimonij non instituit *contractum determinatum* in specie, sed in genere, nempe *contractum legitimum*. Unde, quam diu Ecclesiâ non facit, ut contractus legitimus, non sit materiâ pro sacramento matrimonij, tam diu non facit in materiâ hujus sacramenti *mutationem formalem*, esto intervenire possit mutatio *materialis*, si ponat ex sua potestate, quam habet, condendi leges pro contractibus certis, aliquas conditiones quarum defectu contractus desinat esse legitimus; sicut, vino affundens copiosam aquam, *materialiter* mutat materiâ Eucharistiæ, si per hoc *vinum* desinat esse *vinum usuale*. Quare ad object. in n. 1876. 12. in forma: dist. ma. quoad secundam partem: olim materiâ valida matrimonij erat consensus contrahentium, sub hoc prædicato, *quo erat contractus legitimus* transferens mutuo jura corporum. C. *sub alio prædicato*. N. ma. dist. min. sed consensus contrahentium nunc constitutione Ecclesiæ non est materiâ valida

sine præsentia Parochi, & testium, *si sine his maneat contractus legitimus. N. si non maneat C. min. ergo* constitutione Ecclesiæ materia hujus sacramenti mutata est *materialiter C. formaliter N. conseq. ex n. 1879. & seq.* Aliud enim est, dicere, Ecclesia non potest facere, ut id, quod retinet prædicatum, sub quo designatum est in materiam idoneam sacramenti, non sit idonea materia sacramenti; aliud, quod non possit facere, ut illa res non retineat amplius tale prædicatum. Primum verum est. secundum falsum est ex dictis. Primum faceret mutationem formalem. Secundum solum mutationem materialem, Ecclesiæ non impossibilem.

1887. Ex hoc colliges per hoc, quod Ecclesia superinduxerit nova quædam impedimenta matrimonium dirimentia, nihil ab ea mutatione formali, sed tantum materiali mutatum esse circa materiam, & formam Sacramentorum à Christo determinatam; mutationem autem materialem competere Ecclesiæ, non formalem, jam ostensum est. Etiam si enim supposita Ecclesiæ constitutione, matrimonium contrahere volentes inhabilet ad contrahendum, seu contractum validè celebrandum, *sine præsentia Parochi, & testium*, per hoc tamen non facit, quod contractus, retinens prædicatum *contractus legitimi*, non sit apta materia hujus sacramenti; sed tantum quod non habeat hoc prædicatum, non servatà formam in Tridentino præscriptam, quæ mutatio est solum materialis.

§. II.

An Prelati inferiores possint statuere impedimenta matrimonium dirimentia?

1888. Affirmativa saltem quoad Episcopos, & locorum ordinarios suaderi potest ex his, & similibus motivis. 1. quia quilibet Episcopus in sua Diocesi potest omnia, quæ Papa in universo orbe Christiano, nisi aliqua sibi à summo Pontifice sint specialiter reservata; nullibi autem reperitur, hanc potestatem à summo Pontifice sibi specialiter esse reservatam; ergo. Ma. tenet instar regulæ, Soto *de Just. l. 10. q. 1. a. 3.* Sanchez *l. 1. hic D. 61. a. n. 3.* & alij. deinde constat ex facto, quo à quibusdam

Episcopis, & Concilijs Provincialibus, vel Nationalibus, ejusmodi impedimenta introducta sunt, ut videri potest apud Pontium *l. 6. de matr. c. 1. n. 12. & alios.*

Nihilominus dicendum, potestatem statuendi impedimenta matrimonii dirimentia, esse penes solum summum Pontificem. Nam Episcopi suam potestatem (intellige jurisdictionis) immediate accipiunt à summo Pontifice, à quo *in partem sollicitudinis, non autem potestatis plenitudinem vocantur. c. qui se sui, a. q. 6.* ubi Vigilius Papa ait, liquere, *causarum majorum negotia causarum sanctæ sedis esse reservata; eo quod illa reliqua Ecclesiis in a vices suas crediderit largiendas, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* V. Card. de Lugo. *Respons. moral. l. 1. d. 45. a. n. 1.* Et in *c. Ad honorem. 4. de autor. & usu pall.* idem repetitur; ubi dicitur, quod *solus Romanus Pontifex in Missarum solemnibus pallio semper utatur, & ubique quoniam ipse (nimirum solus) assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium significatur;* ergo Papatu inferiores Prelati tantum jurisdictionis, & non plus habent, quantum à summo Pontifice accipiunt; atqui ab hoc eis potestatem statuendi impedimenta matrimonii dirimentia generaliter communicatam esse, nullo jure scripto, vel non scripto, probatur; & plenitudinem jurisdictionis Pontificiæ non habere constat; ergo; sic communis cum Perez *de matr. l. 21. sect. 5. n. 7.*

Dices: ergo saltem *in suis Ecclesiis* habebunt plenitudinem potestatis significatæ pallio, ut ait textus, quibus pro Ecclesiæ sua pallium conceditur. *re. N. illatum si propriè loquamur de plenitudine potestatis, nimirum non restrictæ, etiam per ordinem ad suos.* Nec enim alijs intra Papatu conceditur usus pallij etiam in suis Ecclesijs, *pro semper,* ut expressè ait textus; sed *pro certis tantum diebus;* & quædam *causis gravioribus,* inter quas meriti numeratur jurisdictionis statuendi impedimenta matrimonii dirimentia, *sanctæ sedis reservatis,* ut habetur *c. qui se sui, priori num. accedit,* quod Christus oves suas pascendas tradiderit non alteri, nisi Petro, & Successoribus ejus.

Ad rationes in contrarium *re. ad 1. jam ex dictis*

ex dictis constare, hanc potestatem sibi à Pontifice reservatam, 1. reservatione generali causarum graviorum. 2. in potestate ordinaria, quæ Episcopis generaliter concessa est, titulo jurisdictionis Episcopalis, seu ordinariæ, non claudi potestatem impedimenta dirimentia statuendi, consequenter speciali reservatione non egere, quare in eo argumento neganda venit ea regula Soti, & aliorum, quatenus exigit specialem reservationem.

1891. Ad 2. ibid. 32. me non negare Episcopis jurisdictionem statuendi quædam impedimenta dirimentia, quæ suam vim obtineant *comprobatione Summi Pontificis*; non autem antè. Nec exempla, quæ refert Pontius ibidem citatus, aliud probant. Nam, esto illi Episcopi in Concilijs suis statuerint quædam ejusmodi impedimenta, plura tamen à summis Pontificibus rejecta sunt; alia confirmata; sine quo nec illa vim ullam habuissent. Et quamvis Pontius cit. n. 12. dicat: hanc potestatem de jure pertinere ad Episcopos, & Concilia nationalia, ac Provincialia; fatetur tamen, antiquâ jam consuetudine summo Pontifici reservatam.

Nec obstat, quòd aliqui dicant, contractum matrimonij esse *juris naturalis*, quo omnes sunt habiles nullo impedimento naturali laborantes; consequenter hoc jus non rectè à Republica Ecclesiastica restringi. Nam esto sit *juris naturalis permittentis*; non est tamen *juris nature præcipientis*. Unde rectè notat celebris Jurisconsultus & Doctor Schambogen in centum questionibus Juris, quibus titulus: *Ars longa vita brevis q. 7.* quamvis lex humana nihil possit præcipere, quod jus nature prohibet, vel prohibere, quod præcipit: potest tamen libertatem naturalem modificare, & vetare, quod naturaliter, seclusis causis, & circumstantiis, simpliciter liceret.

§. III.

An consuetudine induci possint nova impedimenta dirimentia vel abrogari constituta?

1892. Negativam quoad primam partem sequuntur Glossa in c. 1. de cognat. spirit. Johannes Andreas, & Ancharan. in c. 5. de consang. & alij, quorum ratio est. 1. quia sic consuetudine contrariâ etiam possent abrogari impedimenta dirimentia Ecclesiæ constitutione inducta; at hoc fieri

non potest. 1. quia consuetudo contrahendi matrimonium intra gradus jure prohibitos, expressè dicitur *corruptela in c. Quod super 5. de consang.*

2. Quia textus in c. super eo. 3. de cognat. spirit. quo videtur consuetudini concedi vis faciendi, quòd liceat contrahere in gradibus prohibitis cognationis spiritualis, consequenter abrogare constitutionem Ecclesiæ, quâ talia conjugia dirimuntur, solùm loquitur de casu, quo scandalum nasceretur, si conjunctio eorum non permitteretur ex consuetudine, quos jure inhabiles reddit Ecclesiæ: ergo extra hunc casum consuetudo nihil potest.

Pro 2. parte est, quia defacò, præsertim in Provincijs septentrionalibus, ubi hæretici degunt, jam invaluit consuetudo matrimonia contrahendi cum impedimento jure Ecclesiastico solum dirimente; ergo consuetudo habet vim abrogandi leges etiam Ecclesiasticas; patet conseq. quia cum leges humanæ firmitatem non obtineant, nisi approbentur, & roorentur moribus utentium, & quoad leges Ecclesiasticas ab hæreticis planè oppositum jam à centum, & amplius annis fiat in plurimis ab Ecclesiâ statutis, vix bene dici potest, respectu eorum eas Ecclesiæ leges adhuc vim obligationis obtinere.

Et ideo ejusmodi hæreticorù conjugia valida esse censent Marchantius tom. 3. Tribun. Sacram. tr. 1. tit. 6. conclus. 4. Bonagratia in summ. qq. Regular. disceptat. de matr. Sacram. n. 67. & alij apud P. Westner de Canon. Imped. matrim. p. 1. a. 1. n. 20. qui n. 25. censet, præstare, decisionem Apostolicam, propter rei gravitatem, & casuum frequentiam, expectare, quàm de ea aliquid certi statuere; quamvis existimet sententiam hæreticorum matrimonijs faventem, probabilem, ac tutam, & ratione, ac juris principiis generalibus spectatis, negante potiore videri; his præmissis.

Ad questionem initio §. propositam (an consuetudine mutari, vel constitui impedimenta possint) 32. resolutionem constare ex dictis à n. 1244. ubi responsù est affirmativè, si consuetudo talis sit legitime inducta, vel præscripta. Et ita tenet Castrop. de sponsal. d. 4. p. 1. n. 5. citans P. Sanchez l. 7. hic d. 4. a. n. 11. Pontium l. 6. c. 4. n. 6. & alios. Et huic resolutioni non obstat. c. quod super. 5. de consang. consuetudinem matrimonia

nia contrahendi in gradibus prohibitis, vocans potius *corruptelam*. Nam, etsi verum sit, quod nulla consuetudo, quam Ecclesia reprobat, tanquam *corruptelam*, quamdiu talis manet, possit abrogare legem humanam, ut diximus à n. 1256. secus tamen est, ubi definit talis esse, ut notavimus ibid. à n. cit. ubi etiam ostensum, unde cognosci possit, quod consuetudo definit esse morum corruptiva.

1895. Ad rationes in contrarium; & primò ad eam, quæ habetur n. 1892. C. ma. de consuetudine legitima. N. min. ad probat. petitam ex c. *quod super*. R. solum sequi, consuetudini, quam jura vocant *corruptelam*, vi dati c. non concedi vim mutandi, vel constituendi impedimenta, *quamdiu talis manet*; non autem, secus. ad 2. quod dicitur ex c. *super eo*, responsum est n. 1259. ad 3. in n. 1893. R. in questione, *an conjugia hæreticorum valida sint, licet contrahant cum impedimentis dirimentibus, solo jure canonico inductis*; negativam teneri à Lessio in *Auctorio l. 2. de Prescript. casu*. 1. P. Gobat in *Theol. experiment. tr. 9. n. 49. & in appendic. 15. à n. 88*. Ratio esse potest. 1. quia sic hæretici essent exempti à totali obedientia Ecclesiæ in omnibus, quibus etiam scienter, & cum contemptu Ecclesiæ potestatis in Romano Pontifice (à quo contemptu maximè recentiores hæreses initium duxerunt, impiissimis fundatoribus ejus legibus, & constitutionibus cum pertinacia contraveniunt. 2. quia nulla consuetudo, nisi *rationabilis*, habet vim mutandi vel inducendi jus humanum, ut dictum est n. 1245. at consuetudo hæreticorum, cum pertinacia, & contemptu contraveniens constitutionibus legitimi superioris, non est *rationabilis*, hoc enim repugnat juri naturali, & divino; ergo.

1896. 3. Quia consuetudo, ut habeat vim mutandi, vel abrogandi jus humanum, indiget consensu saltem *legali* Principis ex n. 1249. & seq. hunc autem consensum non habet consuetudo hæreticorum, quæ contumaciter obnituntur legibus Pontificijs; tum quia finis quæsitus est turpis, nimirum contemptus Ecclesiæ, quod est contrarium juri naturæ, & divino; tum quia consensus legalis, de quo agit c. *fm. de consuetudine*, est, quoties consuetudo

inducitur non ex contemptu Legislatoris, sed ex fine boni communis in Republica ceteroquin legitimo superiori parente; quod respectu veræ Ecclesiæ nullo modo præstant hæretici; his positus.

Mihi sententia pronuntians in hoc casu pro valore conjugiorum, quæ contrahunt hæretici contra leges Ecclesiasticas, cum impedimentis dirimentibus, jure solum Ecclesiastico inductis, nec ratione, nec spectatis juris generalibus principijs, videtur potior opposita tum ex rationibus in contrarium allatis, tum ex solutione eorum, quæ pro illo favore producta sunt. Ad id, quod dicitur in n. 1893. R. dato, quod leges firmitatem obligationis accipiant, ex observantia, & moribus utentium, consequenter infirmentur, *se contrarij mores utentium sint rationabiles*; non autem, si secus; hoc autem non habent mores hæreticorum, cum contemptu & pertinacia, imò de industria rejicientium leges Pontificias ex n. 1896. ergo. Accedit, quod illud dictum, *leges firmanur, cum moribus utentium approbantur*, intelligatur solum de firmitate *facti*, non *juris*. Nam obligationem, seu vim obligandi, leges Ecclesiæ non habent ab usu, ut rectè notat Castropalaus p. 1. tr. 3. d. 1. p. 13. n. 6.

Dices 1. cessatio earum legum, respectu hæreticorum, videtur expediens bono communi; cum earum, ex quibus bonum commune per eas leges quantum speratur, observantia, in ijs amplius sperari non possit, ac proinde moraliter impossibilis videatur. R. videri vehementer dubium, an ex eo, quod in aliqua parte corporis politici, vel mystici sperari non possit observantia legum, toti corpori rectè præscriptarum, bono publico sit expediens cessatio legum in tali parte, vel communitate, præsertim, quando talis cessatio initium duxit à schismate, seu divisione, ac contemptu Legislatoris, prout revera est in hæreticis, præsertim nostri temporis quibus per licentiam vitæ, viam ad desciscendum, exemplo suo sacrilego fecerunt Apostatæ à Religione, vel statu Clericali. Deinde aliud est, *non posse sperari observantiam defectu potentia*, vel etiam *voluntatis* ob difficultates extrinsecas, & insuperabiles moraliter, quando talis defectus se tenet *ex parte illorum*, qui legem observa-

observare deberent; aliud, si talis defectus non sit in subditis; ut, cum possent, si vellent, & voluntatem non impediant difficultates ab ipsorum arbitrio independentes; quo posito:

1899. Dices. 2. etsi transmittatur, cessationem legis esse expedientem bono publico, cum eius observantia sperari non potest, defectu potentiae, vel voluntatis independente à subditorum arbitrio; secus tamen est, quando ea moralis impossibilitas nascitur ex ipso arbitrio, imò contumacia subditorum. Certum enim est in multis communitatibus privatis, adeò vigere vitium Simoniae, usurarum, violationis immunitatis, & disciplinae Ecclesiasticae, ut vix sperari possit emendatio, non defectu potentiae, sed voluntatis: ex hoc tamen non rectè sequitur, esse bono publico expedientem, respectu talis communitatis (v. g. Cambosorum, mutuantium, Judicum secularium) cessare leges ea vitia prohibentes.

1900. Dices. 2. viros Apostolicos defudantes in haereticorum reductione, si qui eorum ad veram fidem convertantur, non fuisse, aut esse multum sollicitos, in eorum matrimonijs revalidandis, quae durante ipsorum haeresi, cum impedimentis jure Ecclesiastico dirimentibus contraxerunt. R. ex hoc non sequi, consuetudine haereticorum sublatas esse leges Ecclesiae, de quibus hic agitur; sed solum tales sequi opinionem, quae probabiliter illi consuetudini concedit vim abrogandi eas leges. Caterum cum Ecclesia nullo modo difficilis esse soleat, in dispensando cum talibus conversis, in re tam gravi & minimè certà (cui facilis medela est) ejusmodi neo-conversos non juvari ad licitè prosequendam suam consuetudinem; ac viros illos tam sancti laboris, veniam mereri in ijs, quibus citra culpam suam non occurrit dubitatio in oppositum.

1901. Dices. 3. si eos obligarent impedimenta matrimonium irritantia jure solum Ecclesiastico, difficilior longè fieret eorum conversio, metu proles ipsorum habendas pro spurjis aut illegitimis, sacrorum ordinum, beneficiorum, & dignitatum Ecclesiasticarum incapacibus. R. ad hanc objectionem jam constare ex solutione prioris. Nam Ecclesia nullo modo difficilis est in

Tom. 17.

concedenda dispensatione impedimentorum, quae sunt juris tantum humani, praesertim ubi spes affulget animarum ad viam salutis facilius reducendarum ex hac sua benignitate.

Dices. 4. licet haeretici sua pertinacia, & in Christi Vicarium inobedientia, poenam potius, quam favorem mereantur; non tamen sunt indigni miseratione; cum eorum pars magna hodie, ex errore solum, Ecclesiae jurisdictioni se subijci, inculpabiliter ignoret. R. omnino concedi, non negandam esse haereticis Ecclesiae miserationem; sed ad hoc opus non esse, ut solvantur à tam justis legibus Ecclesiae; cum haec, in plurimis alijs miserationem suam planè maternam illis impendat, orando pro illorum salute, tot viros Apostolicos submittendo, qui etiam profuso sanguine, & atrocissimis tormentis exantatis per se, vel successores suos, non desinant quaerere illorum conversionem; & cum ad maternum sinum redeunt, amanter excipiendo.

Dices. 5. si ari canones consuetudinem, quae juri positivo, & Ecclesiastico deroget, generaliter approbantes, plus non exigunt, quam rationabilem, & legitime praescriptam consuetudinem; hoc autem stat, etiam sine tacito Principis consensu. R. negando ulli consuetudini (sine consensu Principis saltem legali) concessam esse vim abrogandi legem humanam, rationem dedimus in n. 1246. & seq. ex c. consuetudinis, dist. 11. imò ipsa etiam praescriptio, vim, quam habet, habet constitutione legum, in quo ponimus consensum legalem; ergo cum in antecedenti allegatur consuetudo legitime praescripta, quae hoc ipso, quod talis sit, includit consensum legalem Principis, malè inferitur, non requiri consensum tacitum Principis, ut consuetudo sic praescripta vim habeat, abrogandi legem humanam.

Ceterum difficulter probabitur, hanc haereticorum consuetudinem, legibus Romanorum Pontificum contrariam, esse legitime praescriptam. Tametsi enim ea consuetudo sit longissimi temporis; capta tamen est irrationabiliter, & pessimè fide per homines juri naturali, & divino refractarios, qui violatà Deo datà fide, per meram vitae licentiam & impudicitiam

ooo

dicitiam tum exemplo tum verbo, facile alios in sui sequelam, & contemptum Ecclesiae, ac legum ejus perduxerunt. Accedit, quod ea consuetudo nunquam fuerit possessionis, aut quasi possessionis pacificae, sed interruptae tot reclamacionibus, & poenis, in eos vibratis ab Ecclesiastico legislatore.

§. IV.

An Magistratus Laicus, seu secularis statuere possit impedimenta matrimonij?

1904. Videtur, quod sic 1. quia, cum matrimonium importet contractum civilem; potestas autem Laica possit statuere certam formam ejusmodi contractibus, quae non observata nulliter fiant, consequenter *legitimi* non sint, sicut statuit ipsa Ecclesia; recte videtur sequi, eandem posse statuere impedimenta matrimonij; seu, quod idem est, mutare saltem [mutatione materiali materiam hujus Sacramenti, faciendo scilicet, *ne contractus sit legitimus*, non observata forma, lege civili praescripta; id, quod etiam possunt in materia aliorum Sacramentorum, v. g. ne vinum maneat vinum usuale.

1905. 2. Quia Magistratus laicus potest certis actibus apponere aliquam conditionem, quae non posita tales actus eodem jure non subsistunt, vel apponendo qualitatem exclusivam alicujus ad substantiam talis actus requisiti: ergo etiam potest statuere impedimenta matrimonij; patet conseq. quia statuere impedimentum nihil aliud est, quam ponere conditionem, sine qua; vel adjicere qualitatem, quae stante matrimonio pulliter fiat, vel saltem impediatur. antecedeus probatur. Nam Magistratus laicus potest statuere, ne subditi nubant extra territorium; vel si secus, solvant censum emigrationis. 2. ne bona alienentur in forenses, etiam causa dotis, vel quod feuda non dentur in dotem, ut expresse docet de Luca, tanquam proba-

bilius lib. 14. de Regularibus, in annotationibus ad SS. Conc. Trid. discurso 26. n. 39.

Deinde Magistratus Laicus potest sequestrare puellas ad effectum explorandi veram earum, ac liberam voluntatem, ut occurratur seductionibus, & violentiis. Potest indignè nubentes privare dote; potest negare bonorum extraditionem, si nubant extra territorium contra Magistratus voluntatem, &c. Nam haec concernunt meram temporalitatem, & statui possunt ex justo, honestoque fine: ac qui haec impediunt matrimonia, saltem quoad libertatem: ergo. Confirmatur: quia multi judicant, valere statutum civitatis, quod inter homines diversarum civitatum non contrahatur matrimonium sub certa poena, dummodo possint honestè contrahere inter homines suae civitatis; sic Bartol. Angelus, & alij, quos refert Felinus in c. 1. de sponsal. n. 20. *versu secundo fallit.*

Verum, omnino negandum est, Magistratum, seu Principem secularem, licet fidelem, *saltem defuncto*, posse condere legem, quae impedimentum aliquod vel impediens, vel dirimens matrimonium inducat in suos subditos fideles; ita communis; quia hanc potestatem de facto esse reservatam soli summo Pontifici, ex de-
 ctis constat n. 1888. dixi. 1. *in subditos suos fideles.* Si enim habeant sub se quos etiam infideles, quorum matrimonium non est verum Sacramentum, ut diximus a num. 340. potest; cum in tali casu eorum matrimonium maneat contractus merè civilis. dixi. 2. *saltem de facto.* Nam Basiliius Pontius lib. 6. de *Impediment. c. 2. num. 2.* recte movet hanc questionem, unde contingit, quod Magistratus Laicus non possit condere impedimenta matrimonij; aliter possit, quantum est ex se, tamen nunc propterea solum, atque adeo *de facto non possit*, quia summus Pontifex eam potestatem sibi reservavit? vel, quia caret potestate ad talem actum, seu dispositionem? quibus positis n. 3. *profus immerito* subjungit, quod P. Sanchez l. 7. d. 3. num. 2. *ex levissimis fundamentis* primum concedat Principi seculari fidei-

non obstante, quod Sanchez ibidem asserat, de facto tamen eam potestatem esse reservatam soli summo Pontifici.

1908. *Immeritò*, inquam, hoc asserit Pontius de tanto viro, qui (ut novit orbis) in resolutionibus suis tam cautè, ac fundatè loquitur, ut meritò illi injurius sit, qui eum *ex levissimis fundamentis* ad affirmandum, vel negandum aliquid, procedere, orbi vulget. Nec in ea opinione, pro qua stat Sanchez, ipse singularis est; cum plures ibidem relatos, secum sentientes habeat, viros aequè doctos, ac sint alij opinionis contrariae; nec suis fundamentis destitutos, quæ sanè levissima non sunt, ut patebit consideranti.

Ceterum omnino existimo, probabilius esse, leges magistratum secularium, quæ directè, vel indirectè substantiam matrimonij fidelium mutant, vel impediunt, irritas, ac nullas esse, ex defectu potestatis; sic Castropalaus *d. 4. de spons. p. 1. n. 3.* & apud eum Covarr. *4. decret. p. 2. c. 6. §. 1.* Layman. *l. 5. summ. tr. 10. p. 4. c. 1. n. 3.* & alij. Quia, etsi matrimonium fidelium sit contractus civilis, & politicus; quia tamen à Christo elevatus est ad rationem sacramenti novæ legis, quoties à fidelibus celebratur juxta institutionem Christi, non manet, sed definit esse contractus *merè civilis*, & politicus, ac evadit *sacramentalis*, & *sacer*; at qui circa substantiam rei sacramentalis, & sacræ nihil potest potestas Laica, cum sit extra forum sæculare: ergo, ma. est certa. min. etiam constat tum ex dictis; tum ex diversis textibus juris sacri; probatur. 1. ex *c. Tuam, de ord. cognit. ubi* deciditur, etsi causa temporalis (v. g. hereditatis) tractetur principaliter coram sæculari Judge; hunc, si incidat *questio natalium*, non debere causam successione, dependentem à causa natalium incipere, sed expectare, *donec causa natalium Apostolico judicio finem acceperit*; ratio redditur, *quia secus nihil aliud esset, quam diversis processibus intricare negotium, & confusione quadam, judicij ordinem perturbare*. Sic Honorius III. ad Ludovicum Regem Franciæ.

1910. Similiter *c. Multorum. 35. q. 6.* Alexander II. Guilielmo de Monfralio, volenti suam uxorem rejicere pratenso titulo consanguinitatis, mandat interdicens, ne id agat, *donec Episcoporum concilium causam*

examinarit. Et ideo in *c. Cum secundum Apostolum, de secundis Nupt.* ea lex Cæsarium, quæ infamiam irrogat viduis nubentibus intra annum luctus, abrogatur, tanquam disponens de re, sæculari foro non subiecta; & *c. quedam lex. 35. q. 2.* rejicitur à Gregorio I. lex Honorij, & Justiniani Imperatorum, quæ decernebat valida matrimonia *inter consobrinos*; & ipsum Conc. Trid. *sess. 24. can. 12.* anathemate ferit eum, qui dixerit, *causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos*. V. quæ supra à n. 364. diximus ad quæst. an valor matrimonij pendeat à consensu, secundum consuetudinem loci, ubi celebratur.

Confirmatur; quia leges civiles, & statuta à Dominis temporalibus, & Magistratibus Laicis facta, quæ directè, vel indirectè disponunt aliquid circa matrimonia fidelium, impediens validitatem, & minuens contrahentium libertatem, jure canonico reprobata sunt, ut constat ex dictis à n. 504. Nec juvat recursus ad distinctionem solitam: omnino reprobari, quatenus disponunt de matrimonijs, in quantum sunt sacramentum; non autem, in quantum sunt contractus merè civilis, & politicus; nam ad hoc jam constat ex dictis à n. 1506.

Ad 1. rationem in contrarium in n. 1912. 1904. *z.* licet potestas Laica contractibus merè civilibus, & politicis (quando etiam celebrati manent *merè civiles*) possit præscribere formam, quæ non servatà, irriti, ac nulli sint; id tamen negari; quando hoc ipso, quod celebrentur à fidelibus eo modo, quo Christiani debent, non manent *merè civiles*, sed evadunt sacri, & sacramentales, ut dictum est à n. 1506.

Ad 2. in n. 1905. *z.* quidquid sit de alijs contractibus, & dispositionibus Laicorum, id tamen univèrsaliter tenendum, nullum Dominum terrestrem, aut magistratum sæcularem posse vel licitè, vel validè, aliquid statueri pro matrimonijs fidelium per modum pænæ, vel privationis ejus, quod aliàs de jure certò competit, in transgressores talis statuti, si directè, vel indirectè tangat validitatem, aut libertatem matrimonij, ut constat ex Trid. in n. 1506. & alijs rationibus hætenus allatis. Ex hoc sequitur irritum esse mandatum, vel præceptum quorumlibet

bet Dominorum temporalium, vel Magistratum Laicorum, qui minis vel poenis viros vel mulieres cogunt (etiam sola coactione conditionata) etiam solum indirecte, ut cum ijs matrimonium contrahant, quos ipsi eorum domini volunt. Nam si minæ, vel pænæ graves sint, iniuste, ac graviter lædunt libertatem matrimonij; ergo ejusmodi leges, & statuta jure sacro reprobata sunt, & omnino illicita, ac nulla, secundum dicta. *iniuste*, quia citra legitimam potestatem, ut constat ex Trid. jam citato; & contra subditorum, in hoc ab illis independentium; *graviter*, si damnum grave sit.

1914. Idem dicendum venit, si, nisi nubant ei, quem ipsi volunt, subditis negent consecutionem paternæ hereditatis, vel fundos ad hos jure pertinentes, auferant, Nam in tali casu si non directe, saltem indirecte cogunt ad tale matrimonium, renuendo debitum solvere, ut constat ex dictis & sub pœna excommunicationis lætæ sententiæ reprobatur à Trid. ut dictum est ibidem; præsertim, cum contineant privationem ejus, quod aliàs jure certo debitum est, ut notavimus supra.

1915. Dices: per decretum C. C. Trid. 24. de matr. c. 9. de quo n. 504. ubi videntur abrogari leges Principum, & Magistratum secularium, solum intelligenda venit abolitio earum, in quantum contra leges sæculares iuste providendum erat validitati, & libertati matrimonij, atque adeo in quantum *iniuste* minis, & pœnis, aut privatione ejus, quod aliàs de jure competit, illis præjudicatur, hoc autem non fit, quando per leges sæculares *iuste* sunt illæ minæ, pœnæ, ac privationes; ut si negetur solum *lucrum acquirendum*; vel etiam aliquid aliàs jure debitum, sed ex iusto, & honesto fine; qualis esset lex municipalis, ne bona stabilia, & in proprio territorio existentia, alienentur in forenses, ex quibus Dominis territorij fieri frequenter possunt graves incommoditates, & collisiones cum alijs dominijs; vel ne feuda transeant, loco dotis, in maritum, vel similes, qui sunt inimici, vel infensi, aut suspecti, sive potentiores domino directo; sic de Luca *cit. n. 39.*

Ante Respons. not. 1. voluntatem Legislatoris Laici (atque adeo legem) que hoc ipso, quod directe, vel indirecte minetur, aut privet transgressores legis, bono illis jure debito, non posse censeri *justam*, quando punitur ab Ecclesia tanquam mortaliter mala; ut, cum punitur excommunicatione lætæ sententiæ; hæc enim supponit peccatum mortale: at voluntas Domini terrestris, vel Magistratus sæcularis (atque adeo lex) quæ directe vel indirecte minatur, vel privat subditum dote, vel hereditate debita, aut alijs bonis, jure vel in re, vel ad rem illi debitis, nisi matrimonium incant, quod dominus, aut magistratus vult, est talis voluntas; ergo nequit esse *justa*.

Not. 2. nec eo casu *justam* esse voluntatem Legislatoris Laici, consequenter legem, quæ minatur, vel privat transgressores bonis jure debitis, ex eo, quod incant, vel non incant hoc matrimonium, à quo in conscientia non prohibentur. Nam Legislator, qui aliquid à me exigit, in quo ei subjectus non sum, iniuste illud lege comminatoria, vel pœnali à se condita, à me exigit; sed subditi dominis terrestribus, aut etiam parentibus in electione status, qualis est conjugij, subjecti non sunt, ex n. 145. & seq. nisi aliunde in conscientia teneantur hoc, vel illud, inire vel relinquere, ergo. Nec juvat distinguere: non sunt subjecti in electione status conjugalis, *ut eum determinatè incant* C. ut ex suppositione, quod inire velint, tale incant, vel non incant N. Nam etiam ad hoc jam constat. 1. non teneri eos inire matrimonium, quando determinati sunt ad statum oppositum ex n. 145. Nec etiam quando determinati sunt ad statum conjugalem juxta dicta n. 144. & seq. ergo; quo posito.

2. Ad objectionem in n. 1915. data, quod leges civiles in eo solum per Tridentinum abolitæ sint, in quo *iniuste* statuitur de matrimonio, quod ejus validitati, aut libertati nocet, ut vult de Luca *cit.* sed nego esse *justas*, cum *generaliter* statuant minas, & pœnas, ac privationes eorum, quæ jure debita sunt in eos, qui tales eorum leges, de valore, vel ijs, quæ libertatem

bertatem matrimonij, etiam indirectè minuunt, non observant etiam extra casus, quibus inire, vel non inire matrimonium non prohibitum in conscientia, de quibus diximus à n. 143. & seq. dixi: *dato*, leges civiles in eo solum per Tridentinum aboliatas, in quo *injustè* statuunt de matrimonio, quod ejus validitati, ac libertati nocet. Nam ex alio etiam capite (nimirum defectu potestatis) irritæ sunt, ut constat ex dictis n. 1909. & passim alibi. Et ideo non salvat eos, ut vult de Luca *cit. supra* n. 1915. quod interdum ex alio justo, ac honesto fine sub minis, & penis statuunt de matrimonio, quod ejus validitati, ac libertati nocet. Nam intentio non facit justam esse legem ab eo conditam, qui caret potestate ferendi legem in tali materia.

1919. Per hoc tamen non nego, valere leges Principum, vel Magistratum secularium, quæ statuunt circa ea solum, quæ nec directè, nec indirectè tangunt substantiam matrimonij; qualia sunt de dote constituenda, de donatione propter nuptias, sponalitati largitate, legitimatione in solis temporalibus; modò ex his nihil redundet in libertatis diminutionem; sic enim ea dispositio *indirectè saltem* redundaret in matrimonij substantiam, ad quam pertinet libertas immunis à metu injustè causato volentibus matrimonium inire. Quod autem libertati, prout eam illæsam volunt sacri canones, & Tridentinum, dum leges sæculares hoc titulo reprobant, istæ vel directè vel indirectè nocent per ea, quæ inducunt speciem pœnæ, vel privationem ejus, quod aliàs certè de jure competit, fatetur ipse de Luca *cit. n. 36.* aliàs Patronus sententiæ contrariæ, ut constat ex dictis; & ratio est, quia metus pœnæ, vel privationis bonorum debitorum, continet damnum, & causat injuriam passio metum, ut notat Pontius *l. 4. c. 4. n. 10.* & quidem illatam ab eo, in casu, qui quoad eam materiam, in alterum jurisdictione caret, ut constat ex dictis.

1920. Ex hoc sequitur 1. injustam esse legem sæcularem, quæ concedit parentibus facultatem exhæredandi liberos, vel negandi dotem filix aliàs non provisæ, quod ipsi invitis nubat, præsertim, si id egerunt petito parentum consilio; quia

in utroque casu privantur re, sibi jure debitâ; ergo saltem indirectè nocent libertati, quam illæsam vult Tridentinum; & procedunt in re, ubi tales leges aboliatæ sunt, teste de Luca *cit. n. 39.* Pontio *cit. n. 10.* & alijs. Quid porro dicendum, si nubant indigno, constat à n. 497. Sequitur 2. leges sæculares, quæ prohibent bona feudalia causâ dotis asserre forensibus, probabilibus esse justas, ut tenet de Luca *cit. supra* n. 1915. Nam in hoc casu dominus directus nihil statuit circa matrimonium, cujus transgressio induceret pœnam vel privationem alicujus jure debiti; cum vassallus aliunde teneatur cavere alienationem feudi; unde jus domini directi deterius evadat.

Sequitur 3. ex hoc, quod leges sæculares subditos nubentes extra territorium contra domini, vel magistratus voluntatem, puniant privatione bonorum, vel omnium, vel parte, quæ ipsis aliàs jure debita sunt, leges esse injustas; ex n. 1916. dixi *ex hoc, quod puniant sic nubentes.* Nam si aliunde jus habeant exigendi censum emigrationis in casu subditi à priori dominio in aliud se transferentis, exigere quidem possunt *eo titulo*; sed non, *ut pœnam*, quia *lex eo titulo puniens*, ut dixi, injusta est. Et sub hac distinctione admitti potest doctrina, quam tradit Gobat *tract. 9. Theol. experim. n. 21.* approbans statutum Mutinense, quo mulier *se ipsam nubens*, hoc est, se ipsam conjugio elocans redditur incapax ad recipiendum ex testamento, vel ab intestato cujuscunque civis, vel districtualis Mutinæ, si hoc non statuat in pœnam; non autem si secus. Tunc enim hæc prohibitio, non est mera prohibitio, sed conditionalis coactio, juxta alibi dicta.

Causalis verò, quam asserit de Luca superius n. 1915. pro justitia legum civilium, quæ nubentibus extra territorium contra ejusmodi leges negant extraditionem bonorum, quæ aliàs jure debita sunt, ex eo desumpta, *quod hæc concernant meram temporalitatem*, in usu Laicorum frequens est,

& nunc propria regulæ ubique ingerendi se rebus temporalibus, etiam si sint Ecclesiastica. Caterùm ut aliàs notavimus supra, nisi limitetur, ea regula certò falsa est. Nam sicut necesse est, utile vitari per inutile, quando illi hoc inseparabiliter annexum est, ut docet *reg. 37. de regul. juris in 6. sic, & à fortiori, necesse est extrahi temporale à jurisdictione temporali, quando illi inseparabiliter annexum est spirituale; unde sicut illud complexum ex utili, & inutili est simpliciter inutile; sic istud ex temporali & spirituali est simpliciter spirituale: de spiritualibus autem potestas Laicorum nulla est; ergo. Cùm ergo temporalitas, cui spirituale inseparabiliter annexum est, sit tale complexum; rectè sequitur, circa talem temporalitatem nullam esse potestatem Laicorum.*

1922. Sequitur. 4. non esse quidem irritas leges sæculares, quæ concedunt parentibus, aut ijs, qui loco parentum sunt, facultatem sequestrandi puellas, nubere volentes, ad hunc finem, ut explorent sufficiens earum iudicium, vel ne seducantur: non autem, ut avertant ab hoc connubio, præsertim non indigno, vel, ut illud incant cum tali, ut habetur in *num. 1767. sequitur. 5. esse probabilius, non esse irritas leges sæculares, quæ quoad nubentes disponunt solum de lucro non acquirendo, ut notat Pontius cit. n. 10. quia, ut diximus alibi, metus amittendi lucrum, nullo jure in re, vel ad rem debitum, non est propriè pœna, nec minuit libertatem matrimonij, prout eam illasam volunt sacri canones, & Tridentinum. Ex his patet ad casus, & probationes particulares in objectis n. 1905. & n. 1915.*

ARTICULUS II.

De Impedimentis tantum impedientibus matrimonium.

1923. Quid sit impedimentum tantum impediens, constat ex n. 1873. Inter impedimenta matrimonium solum impedientia, seu illicitum reddentia, quædam incurruntur ex crimine, & continentur his verbis: *Incestus, Raptus sponsatæ, mors mulieris, susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis; vel si pœniteat solenniter; aut monialem accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum: quæ verò sine delicto incurruntur, sequentibus explicantur: Eccle-*

*sia vetitum, nec non tempus feriatum; atque Carechismus, sponsalia, iungio votum, impediunt fieri; permittunt facta tenere: de his igitur in præsens agendum erit; ubi vides impedimenta solum impedientia ex delicto, esse septem; sine delicto, quinque: quanquam hodie sola quatuor, nimirum *Ecclesie vetitum, tempus feriatum, sponsalia, & votum, sint in usu, cæteris antiquatis, & usu contrario abolitæ, ut patet ex seq.**

§. I.

De Incestu.

Circa hoc impedimentum quæres. 1. quid sit incestus propriè dictus? R. ex n. 1137. esse carnalem copulam habitam inter consanguineos, vel affines in gradu prohibito. Quare incestus propriè dictus non committitur per copulam carnalem inter spiritualiter, vel legaliter solum propinquos, ex n. cod. nec sine copula perfecta ex n. 1727. & si fiat sine notitia circumstantiæ consanguinitatis, vel affinitatis; fore incestum solum materiale, non formalem, ex n. 1728. Incestus vini cum consanguinea uxoris præstabat olim incestuosus impedimentum impediens eorum matrimonium cum alijs ex n. 1140. & quidem perpetuum per n. eund. & si incestus superveniat matrimonio rite contracto (puta, si fiat cum consanguinea uxoris in gradu prohibito) inducitur quidem affinitas inter virum, & uxorem, non dirimens matrimonium prius contractum, sed incestuosò conjugij solum adimens jus petendi debitum ex n. 1141. de hoc impedimentum confurgebat etiam ex carnali copula, cum consanguinea uxoris, etiam defunctæ; nam morte uxoris non tollitur affinitas inter virum, & uxoris consanguineas.

Quæres. 2. quale impedimentum præstet incestus cum consanguinea sponsæ de futuro? R. quod pariat affinitatem, quæ non tantum inter ipsos sponso de futuro, sed etiam inter sponsum, & consanguineas mulieris incestuosæ, usque ad secundum gradum inclusivè dirimit matrimonium, ex n. 1143. & seq. Et quamvis aliqui negent, ut diximus n. 1144. induci per incestum sponso cum consanguinea sive sponsæ de futuro, impedimentum impediens matrimonium horum incestuosorum

tum cum alijs personis; probabilior tamen est affirmativa ex n. cod. Nec obstat, quod copula cum consanguinea sponsae de futuro intra gradum prohibitum non sit incestus propriè talis; neque hoc impedimentum universaliter oriatur ex incestu non propriè tali; id tamen procedit solum, ubi lex hoc, pro tali casu, specificè non disponit, ex n. cod. Hoc autem impedimentum impediens incestuosorum matrimonium cum alijs, quando oritur ex copula sponsi cum consanguinea sponsae de futuro, non est *perpetuum*, sed solum *temporale*, dum vivit complex delicti ex n. 1140. solus enim incestus propriè dictus cum consanguinea uxoris praestat incestuosum impedimentum, *perpetuo* impediens matrimonium eorum cum alijs; non autem incestus impropiè talis, nisi sit contra *injunctam publicae honestatis*; & tunc praestat impedimentum solum temporale, ut dictum est, & patet ex n. 1157.

1156. Quæres. 3. an *omnis* incestus propriè dictus pariat hoc impedimentum impediens? v. g. si commissus sit cum proprijs consanguineis, cum filia fratris, vel fororis? Affirmativam tenet Castropal. & alij, ut dixi à n. 1148. sed negativa probabilior est per dicta n. 1149. & seq. Hoc impedimentum impediens incurritur ab incestuosus, licet neuter eorum sit conjugatus ex n. 1155. & consequenter, esto contingat sine adulterio, ex n. 1156. quod verum est, licet incestus sit occultus, ex n. eod. Non inducitur tamen, si consanguinea uxoris vi opprimatur per hujus virum ex n. 1157. ubi etiam n. 1158. cum Schambogen diximus, poenas juris civilis non habere locum adversus contrahentes *ignoranter* nuptias incestas; nec inducitur, si incestus commissus sit inter affines secundum, & tertij generis, de quo dictum est à n. 1218. nisi simul sit affinitas in eo gradu, qui matrimonium inter eos dirimit, ut constat ex n. jam cit. Et ideo Cajus cognoscens uxorem Titij, quam hic duxit post primam uxorem, quæ erat soror Caij, habet quidem carnalem copulam cum affine sua in secundo genere primi gradus (cum sit uxor Titij, qui est affinis Caij in primo gradu, & primo genere) tamen non committit incestum, cui annexum est hoc impedimentum. Cajus enim

licitè acciperet eam in uxorem mortuo Titio. ergo.

Quæres. 4. an hoc impedimentum incestus, quatenus incestuosus praestat impedimentum vel perpetuo, vel ad tempus, impediens matrimonium cum alijs, etiam hodie sit in usu? R. negativè cum communi; sic P. Martin. Perez d. 23. de *matr. sect. 8.* quem citat, & sequitur Gobat in *Experiment. tr. 9. n. 7.* universaliter loquens de omnibus impedimentis, tantum impediens, & nascentibus ex delicto. Cum autem incestus cum consanguinea uxoris explicet copulam fornicariam, seu illicitam; ex hac autem nascens affinitas jure novo se extendat ad secundum gradum inclusivè, & non ultra per n. 1228. etiam incestus inducet hoc impedimentum, in quantum commissus est cum uxoris consanguinea intra secundum gradum, & non ultra; ita Sanchez l. 7. *hic d. 15. n. 4.* impedimentum enim impediens, quod ex incestu oritur, fundatur in affinitate, quam inducit copula cum uxoris consanguinea, vel e contra, inter virum & uxorem. Ex hoc sequitur, per viri copulam cum uxoris consanguinea in tertio, vel quarto gradu, non nasci hodie incestum, qui praestabat hoc impedimentum impediens; nec etiam per copulam cum sponsa de futuro consanguinea extra primum gradum, ut dictum est; nam illi gradus non sunt hodie *gradus prohibiti*.

§. II.

De Raptu Sponsæ alienæ.

Hoc enim intelligitur per ea verba: *ra- 1927.*
ptus sponsatæ in verbis supra n. 1923. Raptus alienæ sponsæ olim Raptori praestabat impedimentum, non dirimens, sed impediens matrimonium cum qualibet alia contrahendum. Nam, qui audet alienum matrimonium perturbare, merito privatur proprio, nimirum acquirendo, juxta *c. statutum 27. q. 7. ibi: sine spe conjugij maneat*; & in *c. Accepisti. 2. de sponsa duorum*, etiam quoad raptam statuitur, *quod ipsi (nimirum Raptori) nunquam possit legitima (intellige uxor) fieri*, licitè. Not. autem utrumque hoc decretum esse poenale, in odium raptus; consequenter odiosum, atque adeo intelligendum de *raptu sponsæ alienæ per verba de presenti*, prout

prout etiam exprimitur in *cit. c. Accepisti*; ubi: *quam alter sibi desponsatam habuerat*; ubi gloss. V. ait; *per verba de presenti*; & ratio est, quia sponsa solum de futuro in odiosis non venit nuncupatione *sponse*, ut notat Sanchez *l. 7. hic d. 12. n. 45.*

1928. Not. 2. ut raptus alienæ sponsæ inducat hoc impedimentum, & alias juris pœnas, de quibus infra, plures conditiones desiderari, non ut talis raptus sit immunis à culpâ; sed à pœna jure decreta; & primo inter eas esse, quòd sit *sponse alienæ de presenti*, ut dictum est num. priori. Nec obstat *cit. c. statutum*, ubi dicitur: *si sponsa rapta non consensit crimini, licentia nubendi alij non negetur*; sed hoc intelligi nequit de sponsa per verba de presenti superflite sponso; ergò. 2. enim in eo loco raptæ concedi veniam alteri nubendi *post mortem sponsi de presenti*; quia crimini non consensit; aliàs enim (per sensum contrarium) nec post ejus mortem alij nubere potuisset, si crimini consensisset; quia tunc etiam ipsa faceret injuriam matrimonio; sic Castropalaus *cit. d. 4. de sponsal. p. 2. q. 2. n. 9.* & incurreret idem impedimentum impediens cum quocunque alio, ut notat Sanchez *cit. n. 44.*

1929. Not. 3. ad incurrendum hoc impedimentum ex raptu sponsæ alienæ, desiderari secundo, quòd raptus mulieris sit verè *traductio ejus de loco in alium, saltem moraliter*, ut exposuimus supra; & quidem cum quadam *vi, ac violentia*, consequenter cum perfecta injuria conjugis spoliati, ut vult Sanchez *cit. n. 46.* propterea, quòd Ecclesia in decretis pœnalibus, quæ restringunt materiam matrimonij, valde favorem in jure, præsertim canonico, mitius procedat, consequenter ea valde restringat, ut non intelligantur de delicto nisi perfecte tali.

1930. Ex hoc principio infert. 1. ad incurrendum hoc impedimentum desiderari tertio, quòd raptus sit *cum copula inter raptorem, & raptam subsēcutâ*, quòd aliàs delictum non sit plenè consummatum: sed hoc non desiderari verius existimo; cum id nec desideretur, ut raptus jure Tridentini dirimat matrimonium inter raptorem, & raptam, dum est in ejus potestate; & quàmvis delictum raptus, sine subsēcuta copula, non sit consummatum *in alia linea*, nimirum *adulterij*; est tamen

consummatum *in ratione raptus alienæ sponsæ.*

Infert. 2. desiderari. 4. quòd raptus importet violentiam *illatam viro*, cujus sponsa rapitur, consequenter, quòd contingat illo renitente; quòd aliàs non fiat perfecta injuria, quæ attenditur; cum ex raptu alienæ sponsæ impedimentum impediens statuitur raptori; imò & raptus, si delicto consentiat.

Ex hoc deducit, huic impedimento non esse locum. 1. si ambo sponsi consentiant, quia tunc abest omnis injuria spoliati, seu mariti, cujus sponsa abducitur, imò nec est raptus. 2. si solus vir consentiat etiam uxore renitente; ex eadem ratione: sed in hoc videtur contrarium. Nam uxor tantum jus habet, ne spoliatur viro suo; quàm econtra; nisi dicas, requiri injuriam uni conjugi factam *per alterius violentiam* abductionem; quòd non fit, quando mulier invitata, viro consentiente, abducitur: quia licet mulieri tunc fiat injuria per sui abductionem; non tamen *per abductionem viri.*

Dices: hoc impedimento incurritur per abductionem sponsæ non consentientis sponso; ergo per abductionem sponsæ non consentientis sponsa; jus enim utriusque idem est. 2. N. consequ. quia *abductio sponsæ invito sponso, injustè spoliat suam conjugem per raptum sua conjugis*; per hoc autem, quòd sponsa invitata abducatur à sponso, non consentiens, hæc non spoliatur *injustè suo conjugem per ejus raptum*; spoliatur injustè viro suo, sed non *per raptum viri.*

Deducit. 3. eidem impedimento non esse locum, quando sponsa aliena rapitur viro ignorante, vel dolis circumventi, etiam si mulier sit invitata; quia licet in dicto casu fiat injuria viro, non tamen fit *cum violentia illata viro*. Nam respectu patris ignorantis, vel dolis circumventi, ablatio rei alienæ, est quidem ablatio injuriosa, sed non *cum violentia*; aliàs omnè factum occultissimè factum esset furtum cum violentia, seu rapina.

Ex eodem principio infert. 2. desiderari etiam, quòd in hoc casu raptus alienæ sponsæ fiat *causa matrimonij* cum raptâ in eundem; quia sic propriè habet rationem causæ perturbantis matrimonium alienum ex vana libidine raptorem adeò impellens,

pellente, ut ad eam explendam eligat matrimonium iure invalidum.

1934. Variæ autem pœnæ in ejusmodi Raptores statuta sunt utroque jure: de pœnis juris civilis videri potest Castropalaus *cit. n. 8.* & Sanchez *cit. à n. 41.* sed hæc potissimum agunt de Raptu *cujuscunque mulieris*; prout Raptus à Tridentino nunc est impedimentum dirimens matrimonium inter Raptorem, & Raptam, de quibus hic locus dicendi non est; cum agamus solum de Raptu alienæ sponse, quare Raptus mulieris etiam propriè dictus, nisi sit *alienæ sponse*; non cadit sub hoc impedimento tantum impediens, de quo in 1927. ita Sanchez *cit. n. 43.* ne decretum pœnale, Raptui statuens pœnam hujus impedimenti, extendendo, nova impedimenta inducamus.

Jure autem Canonico Raptori alienæ sponse, præter dictum impedimentum tantum impediens, in pœnam talis raptus, etiam statuta est publica pœnitentia, ut habetur *cit. c. statutum*; & quidem. 1. ne unquam possit raptam licitè in conjugem habere. 2. ut per 40. dies in pane, & aqua, cum septem sequentibus annis pœniteat.

Ad extremum not. quod Sanchez *cit. n. 43.* loquens de raptu *alienæ sponse*, dicat, quòd talis raptus hodie impediatur matrimonium ita, ut Raptor ille nec cum raptâ, nec cum quacunque alia possit licitè inire matrimonium; si tamen ineat, valere contractum. Ex hoc videtur sequi, juxta illum, etiam hodie, & nunc, locum esse huic impedimento tantum impediens, consequenter non omnia impedimenta tantum impediens, quæ oriuntur ex delicto, esse subacta, ut diximus supra: sed videtur intelligendum, hodie, cum addito, *speciato jure antiquo*; non autem, *usu contrario jam inducto*.

§. III.

De impedimento ex Uxoricidio.

1935. Hoc intelligitur per ea verba: *mors mulieris in n. 1923.* Cum autè occiso uxoris possit contingere quandoque etiam justè; & cum injustè sit, vel animo incundi matrimonium cum alia, vel sine tali animo, auctoritate privatâ, ex irâ præcipiti, odio, vindictâ, vel simili culpâ, quæstio est, cui *uxoricio* hoc impedimentum, tantum impediens matrimonium uxoricidæ cum alijs,

Tom. IV.

in pœnam statutum sit? quâ in re not. 1. in hoc casu non venire conjugicidium animo cum alio incundi matrimonium, perpetratum, vel à duobus volentibus contrahere; vel saltem ab uno simul cum adulterio. Nam huic statutum est impedimentum dirimens non præcisè impediens, ut constat ex præmissis.

Not. 2. in præsentî questione nec veni- 1936. re uxoricidium justè, ac auctoritate publicâ, factum v.g. cum uxor justè mortis condemnata propter delictum, auctoritate publicâ occiditur. Nam in *c. Interfectores*, 33. q. 2. de uxoricidis dicitur: *Interfectores suarum conjugum sine judicio* (nimirum sine judicis auctoritate) *cum non addis adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud habendi sunt, quam homicidæ, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi? quibus pœnitentia conjugium denegatur, exceptis adolescentibus.* ubi vides hoc impedimentum statui solum, cum *sine judicio* uxoricidium committunt; ergo non, si *cum judicio*.

Ex hoc autem textu videtur satis probabili- 1937. ter deduci. 1. Uxoridas hoc impedimentum incurrisse solum ratione pœnitentiæ (intellige, *solemnis*, seu *publicæ*) in pœnam illius delicti statuta; consequenter, non fuisse *perpetuum*, sed tantum ad tempus pœnitentiæ durantis; quod confirmatur ex *c. quicumque* immediatè sequenti, ibi: *quicumque propriam uxorem, absque lege, vel sine causa, & certa probatione interfecerit, publicam agat pœnitentiam*: quia tamen satis probabiliter dicitur, quòd ibi relativum, *quibus* conjugium pœnitentia denegatur, non appellet supra interfectores, seu homicidas illos solum *mediate*, mediante solum *pœnitentiâ*, aut ratione illius; sed *immediatè*, ratione talis homicidij, consequenter rectè dicitur, ex hoc titulo fuisse *perpetuum*; licet ex altero solum temporale.

Deducunt alij. 2. eosdem hoc impedi- 1938. mentum non incurrisse, nisi commiserint delictum illud in casu, ubi non erat *justa causa* v. g. adulterium, vel aliquid hujusmodi; atque adeò non, si vir uxorem in adulterio deprehensam occidit. 1. quia in *cit. c. Interfectores*, hoc impedimentum statuitur in tales homicidas, solum pro casu, quo pro casu facti non allegatur *uxoris adulterium*, vel aliquid hujusmodi, ut patet ex textu in n. 1936. deinde *c. quicumque*

Ppp

tuncque

cunque loquitur de uxoricidio, *sine causa*, & *certa ejus probatione*, ut constat ex n. priori. Demum quia occidere uxorem in adulterio deprehensam, est uxoricidium ex causa justa, & evidenti; *evidenti*, cum ponatur deprehensa in flagranti: *justa*, cum legibus mundanis, vis ob justum dolorem id jam dudum sit concessum.

1939. Verum etiam ex tali uxoricidio spes matrimonij cum alijs adini ejusmodi uxoricidis, omnino tenendum est, cum St. Thoma in 4. dist. 37. q. 2. a. 1. Covarr. de sponsal. p. 2. c. 7. § 7. n. 15. Sanchez l. 7. hic d. 16. n. 2. & alijs. quia etiam tale homicidium est graviter illicitum in conscientia, & quoad Deum, atque forum Ecclesiasticum, ut habetur in c. *Inter hæc*; & c. *si quod verius*. 33. q. 2. Et constat etiam ex eo, quod hæc propositio (*non peccat maritus, occidens propria autoritate uxorem in adulterio deprehensam*) sit decima nona, inter prohibitas ab Alexandro VII. 24. Septemb. 1665. Unde in hac pena canonica non sunt consideranda leges sæculi, si, (quod credendum non est) tale factum *positivè* approbarent; sic enim facerent licentiam interficiendi reum non auditum, causâ non examinatâ cum jactura æternæ salutis; sed Ecclesiasticæ; quibus, ut dictum est; tale homicidium *sine judicio* factum, c. *Interfectores*, expressè subjicitur penæ hoc impedimentum inferenti.

1940. Ad. 1. in contrarium, in n. 1938. ubi eorum verborum, *cum non addis adulterarum*, non esse sensum intentum ab objectione, quasi non statueretur in penam hoc impedimentum, si expressum fuisset, quod interfecerint uxores adulterij, vel aliâ hujusmodi causâ; sed quod vel non puniretur penitentia solemnî tam gravi; vel, verius, hunc: interfectores suorum conjugum penitus negandum connubium, *maximè*, cum non additur causa adulterij, vel similis, ut notat ibid. glossâ V. *Interfectores*, ubi expressè dicit, eum terminum *maximè* in textu esse supplendum. Ad. c. *quicumque in eod. n. 12.* quod *cit. c.* expressè requirit, præter causam, etiam Judicis auctoritatem, ibi, *sine judicio*; & *certa probatione*; ergo non

sufficit ad evadendam hanc penam, quod uxoricidium fiat ex causa v. g. adulterij; sed requiritur, quod fiat *ex causa certo probata in judicio*. Ad. 3. ibid. 80. ut illud uxoricidium declinet penam, non sufficere causam, seu uxoris delictum etiam evidens, evidentiâ facti, *sine judicio*, ut dictum est; nec per delictum illud ejusmodi occisionem sic vestiri, ut dicatur factum *ex causâ justâ*, si habeat solam justitiam immunitatis à reprobatione, & pena mundanæ legis; sed requiri, *ut sit justâ secundum Deum*, & *forum Ecclesiasticum*, in quo statuitur hoc impedimentum, contra tale delictum; at hoc non habet effectus in adulterio deprehensæ ex n. 1939. ergo.

Questio est, an etiam uxor incurrat hoc impedimentum, si auctoritate privata committat *viricidium*? affirmativam sequitur Pontius l. 6. hic. c. 14. n. 2. Gutierrez, Navarrus, Castropol. & alij, quos citat & sequitur P. Wiestner p. 1. de *Canonice Imped. conjug.* a. 7. n. 14. negativam autem Sanch l. 7. d. 16. n. 6. cum S. Thom. in 4. dist. 37. q. 2. a. 2. Turrecremata, Sylvestro: & alijs. Ratio negantium est, quod *viricidium* amitti spes conjugij, nullo jure habeatur expressum, cum allegati textus omnes *de cade uxoris* loquantur, 2. quia nec eadem ratio militat pro cade viri, & cade uxoris. Nam uxoricidium est delictum, in quod viri, natura sua audaces faciliè, & frequenter erumpunt; secus, in eadem viri mulieres, natura sua timidæ. Ratio affirmantium est, quod non requiratur juris textus, qui conjugij spes adimant uxoris insidiaribus vitæ maritorum; sed sufficiat, quod eas afficiat ratio juris non minus, quam maritos: hoc autem contingit in præfenti, ut colligitur ex c. *Indignatur*. 32. q. 6. & exprimitur c. 1. de *divortijs*, ubi mulier propter insidias vitæ mariti structas, spe conjugij perpetuo privatur, licet ejus machinatio effectum non sit consecuta.

Ante resolutionem not. argumentum à simili, ubi subest odium, non procedere, ut docet Zoësius de sponsal. n. 28. Et ratio est, quia in lege positiva, quæ delicto liberè statuit penam, penæ adjectio non pendet unice ex ratione, quæ

quâ movetur disponens, sed etiam ex voluntate disponens; ergo ex hoc, quod Legislator exprimat in aliquo casu, se tali actui, propter talem causam, statuere penam, non rectè sequitur, quod velit eandem in actu simili, similitudine causæ; cum stante in tali actu eadem ratione possit in legislatore non esse eadem voluntas, si vel in levi circumstantia dissimilentur: consequenter non rectè arguitur statim in utroque identitas voluntatis, ut diximus alibi n. 496. & 598. quo posito:

1943. R. idem omnino etiam de *Viriciditio* dicendum in hoc casu, quod de *Uxoricidio*; non quidem ob identitatem rationis, etiam in correlativis, quando sumus in penalibus, & odiosis, ut dictum est: præsertim cum non sit eadem omnino ratio in sceminiis *Viricidis*, ut ostendit Sanchez *cit.* sed quia Legislatores statuentes penam, quâ reus cædis privatur spe conjugij in futurum, satis expresserunt, se illam statuere *conjugicidio*, præscindendo, an sit cædes uxoris, an viri? id, quod rectè probatur ex c. 1. de *divort.* ibi: ipsa autem *insidiatrix*, penitentia subjecta, *absque spe conjugij maneat*; quo satis ostenditur, Ecclesiam metu hujus pœnæ, in uxoribus non tantum cædem, sed etiam machinationem in cædem viri cœcere; & si fiat, punire voluisse, privatione spei matrimonij deinceps licite celebrandi; In c. *Indignantur cit.* in n. 1441. nihil habetur in favorem sententiæ affirmantis. Nam ibi solum dicitur, *viros adulteros non rectè indignari, si audiant, se, & adulteras feminas similes pœnas pendere* V. dicta in simili in præcedentibus.

§. IV.

De impedimento ex Presbytericidio.

1944. Ex occisione Presbyteri, seu interfessione Sacerdotis (intellige injusta) jure antiquo nascebatur impedimentum, interfectoris, matrimonium cum alijs perpetuo impediens, si de tali cæde *convictus* fuit, ut habetur in c. 2. de *Penit. & remiss.* ibi: *qui presbyterum occiderit, convictus, usque ad ultimum vitæ spiritum absque spe conjugij maneat.*

1945. Quæstio est, an ad incurrendum hoc impedimentum sufficiat, quod interfector de hoc sit convictus in foro penitentia? v. g. confessione propria. Affirmativam

Tom. I.

sequitur Rosella, Sylvester, Armilla, & plures alij apud Sanchez l. 7. hic d. 6. n. 9. qui merito tanquam probabilius tenet, desiderari, quod sit *convictus in judicio contentioso*. Nam in c. 2. expressè desideratur, quod sit *convictus*: sed in foro penitentia Sacramentalis non datur *convictio*. Nam in hoc foro nullus est testis, vel accusator externus; quod tamen requiritur, ut reus dicatur *convictus de crimine*, ut notat Pereyra in *Elucidar. n. 1212.* & alij ibid.

§. V.

De impedimento ex matrimonio cum Sanctimoniali.

In c. *Hi ergo.* 27. q. 1. dicitur, *qui Sanctimonialibus, scientes matrimonio, ad injuriam Christi, copulati sunt, juxta censuram Zeli Christiani sepaventur; & nunquam eis concedatur conjugali vinculo religari.* Ex quo textu clarè sequitur, sermonem hic esse de matrimonio solius *fæcti*; nam matrimonium inter monialem, & virum, sive regularem, sive sæcularem (seclusa dispensatione Papæ) propter solenne castitatis votum, *de jure* consistere non posse constat ex c. *meminimus* 3. *quæ Clerici vel vorventes.* & c. *unic. de voto in* 6. ut constat ex dict. à n. 971. Et quamvis dictum c. *Hi ergo*, sit solum ex Concilio Triburiensi, c. 6. ab universali tamen Ecclesia receptum fuit: sequitur. 2. talem virum (etiam sæcularem) incurrere ex tali matrimonio impedimentum perpetuo impediens matrimonium cum alijs, per num. præsentem, ibi: *nunquam.*

§. VI.

De impedimento ex susceptione propriæ Sobolis de sacro fonte.

In c. *de eo.* 30. q. 1. dicitur, quod sine 1947. spe ulterioris conjugij debeant remanere conjuges legitimi, si unus eorum, aut ambo, *ex industria* (nimirum causâ divortij, prætendendo cognationem spirituales) filium solum de fonte susciperent. Ex hoc textu sequitur, hoc impedimentum non incurri a conjugibus, suam propriam sobolem baptizantibus, vel de sacro fonte suscipientibus, *in casu necessitatis, aut ex ignorantia*, ut diximus num. 1110. sed solum cum id faciunt *ex industria, in fraudem* sui matrimonij,

Ppp 2

vel

vel alterius conjugis, ut ab eo separentur, vel debitum negare possint, ut dictum est ex *cit. c. de eo*. Cujus ratio ulterior est ex *c. 2. de cognat. spirituali*, ubi cognatio spiritualis, ex ejusmodi casu, quoad suos effectus, solum admittitur, si parentes ex *malitia* id faciant, V. plura super hoc à n. 1111.

§. VII.

De impedimento ex penitentia solenni, seu publica.

1948. Penitentia solennis, esto non sit crimen, ortum tamen habet ex crimine, & jure antiquo taliter penitentem impedebat à matrimonio licite contrahendo, quamdiu ipsa durabat. *c. de his*. Rationem communiter dant authores, quod eos, qui in luctu, & penitenti vitâ dege-
re tenentur, non deccat lætitia, quam nuptiæ secum ferunt. Cum autem penitentia solennis, seu publica non amplius sit in usu, ut constat; cessat quoque hoc impedimentum; ita Sanchez *cit. l. 7. d. 6. n. 10.* nam sublata causâ tollitur effectus.

His impedimentis, tantum impedi-
entibus, ducentibus originem ex delicto, aliqui annumerant interfectionem proprii filij. Ratio sumitur ex *c. 1. de his, qui filios occiderunt*, ubi dicitur, *si mulier, que prolem suam interfecit, induci non possit, ut in Monasterio aliquo perpetuam penitentiam agat, repugnante carnis fragilitate, ei licentia nubendi in Domino, tribuatur*. Ex quo arguunt, ei, in qua cessat hæc fragilitas, licentiam ejusmodi negandam. Sanchez *cit. n. 12.* ait, placere sibi hanc sententiam; sed sic erunt impedimenta tantum impediencia ex delicto, octo; consequenter cum alijs quinque, sine delicto, *tredecim*; & quidquid olim fuerit, jam aliud est ex dicendis infra; & §. mox hic secuturo.

§. VIII.

De impedimento ex Catechismo.

1949. Hactenus de impedimentis matrimonium impediencia, quæ originem ducunt Ecclesiæ constitutione propter delictum: inter ea verò, quæ vim habent impediendi matrimonium, quin inducta sint

ob commissum crimen, est Catechismus. Circa quod notandum, primis Ecclesiæ sæculis, præter Patrinum, seu susceptorem de sacro fonte fuisse alium, qui loco baptizandi, sacerdoti instructionem fidei, & olim & hodie ante fores Ecclesiæ, præmittenti, ac interroganti, an credat: an Sathana renuntiet? respondebat. Et hæc instructio, & fidei professio per interrogationem, & responsum facta ante baptismi collationem, Catechismus dicitur; & per eum quædam cognatio spiritualis contrahatur, imperfecta tamen, cum non contineret functionem in actu Sacramenti Baptismi; sed tantum aliquod ejus initium, quod non esset adhuc regeneratio per fidem, nisi imperfecta, nimirum inchoative. *c. Per Catechismum. 2. de cognat. spirit. in 6.* ubi Bonifacius VIII. Per Catechismum, inquit, qui præcedit baptismum Sacramentorum fundamentum, & januam reliquorum, cognatio spiritualis contrahitur: per quam contrahendum matrimonium impeditur, ut ex prædecessoris nostri Clementis Papæ tertij decretali colligitur evidenter: dicendo enim, quod talis res vix contrahendo matrimonio impedimentum afferret, velle videtur, quod afferat: nam, *quod vix fit, fieri tamen dubium non existit*. Per illam tamen cognationem matrimonium post eam contractum minime separatur.

Ex quo textu sequitur Catechismo, seu fidei professioni ante baptismum, jure antiquo annexum fuisse impedimentum non dirimens, sed tantum impediens matrimonium contrahendum titulo contractu illius compaternitatis solum imperfectæ. *c. contracto. 5. de cognat. spirit.* ubi, jam contracto matrimonio inter Philibertum, & Agatham, quidam ejusdem Philiberti consanguinei contra matrimonium objecerunt, quod eadem in primo sacratu falsi pabulo filium quandam concubine ipsius Philiberti tenuit, Clemens III. respondit: *si constaret, vera esse, que diximus, non ideo tamen contractum matrimonium solveretur: quæ res vix contrahendo matrimonio impedimentum afferret, ideoque mandamus, quatenus præfato P. auctoritate nostrâ injungas, ut memoratam A. sicut uxorem maritali affectione petra-ctet, & carnale debitum ab ea licenter exigat, & persolvat, sive ipsam ante matrimo-*

trimonium contractum cum P. sive postea constiterit, hoc egisse: dum tamen, si in fraudem hoc fecerit causa matrimonij separandi, penitentiam pro presumptione accipiat, matrimonio in sua firmitate durante: & c. 2. *cod. in 6.* jam relato. Et quoniam Tridentinum, de quo supra n. 1092. restringens gradus cognationis spiritualis, iure veteri obstantes matrimonio, expressè in suo ibid. relato decreto ait: *omnibus inter alias personas* (præter ibi enumeratas) *hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis*; rectè sequitur etiam hoc impedimentum ibid. sublatum esse; cum inter personas ibi exceptas non sint ille, quæ spiritualiter cognate sunt ex Catechismo; sic enim omnes exclusæ sunt, quæ ibi non nominantur; quo rectè salvatur correctio juris antiqui per hoc decretum Conciliare.

§. IX.

De impedimento ex Ecclesia vetito.

1950. Inter impedimenta, etiam hodie impedientia, non tamen dirimentia matrimonium, & nascuntur citra delictum, est *Ecclesia vetitum*, seu *interdictum*, quod, quatenus hic venit inter ista impedimenta, sumi debet *non generaliter*, prout significat prohibitionem à sacris canonibus factam; *sed specialiter*, quatenus explicat prohibitionem, à superiore Ecclesiastico factam ob legitimam causam, ne inter tales matrimonium celebretur, ut dictum est n. 1326. & seq. nam tale interdictum specialiter annexum habet, rationem impedimenti tantum impedientis, ut pluribus expolitum est in *Tit. 16. à n. 1326 cum seq.* ubi etiam ostensum est, *interdictum Ecclesie*, esse distinctum impedimentum ab eo, quod significatur *per tempus feriatum*.

1951. Matrimonium igitur celebratum contra interdictum Ecclesie, illicitum quidem, sed validum est, ex n. 1329. id, quod procedit, licet sit interdictum Papale, seu licet celebretur contra interdictum Papæ, quod caret clausula irritante, esto fiat appellatione pendente, ex dict. à n. 1339. Nam aliud est matrimonium alicui interdicti interdictione actum *præcise prohibente*, prout interdictum hic accipitur, ex n. 1326. aliud, interdictione actum etiam *annullante*; matrimoni-

um autem, non tantum validè, sed etiam probabilius licitè celebrari, tempore interdicti, quatenus est censura, constat ex dictis à n. 1342. Hinc validum est matrimonium sponzorum, in facie Ecclesie celebratum, licet illis matrimonium à Parocho prohibitum sit v. g. quia post unam, vel aliam denuntiationem Parocho intimatum est, quòd sponsa prius alteri promiserit matrimonium; vel quòd unus eorum habeat aliud impedimentum, aut impediens, aut dirimens, si hoc in re non subsit, licet adsit reverà impedimentum aliquod illos impediens. Nam matrimonium contra interdictum Ecclesie initum ex hoc præcisè capite non dirimitur.

Dixi *validum esse tale matrimonium*, 1952. sed non licitum; cum tale interdictum Ecclesie obliget naturaliter, seu in conscientia, dixi. 2. *in facie Ecclesie contractum*; nam esto Parochus ipsorum non assisteret, si prævideret eos non obstante suâ prohibitione contracturos (ponitur enim illis matrimonium interdixisse) si tamen dolo aliquo rem sic instituerent, & coram Parocho nihil tale suspicante, vel in aliquo loco de industria detento, quantumvis invito (modò audiat, & intelligat, quid dicant) presentibus alijs testibus consensum suum per verba de presenti exprimerent, jam contractum foret *in facie Ecclesie*. Talis casus fuit, quem *tit. 3. retulimus ex de Luca l. 14. de matr. discurs. 2.*

§. X.

De impedimento ex tempore feriato.

Tempus feriatum, seu feriarum (intellige *sacrarum*) etiam hodie numeratur inter impedimenta impedientia, non quòd ijs temporibus prohibeatur *celebrare matrimonium*; sed tantum *celebrare solenniter*; nimirum cum solenni benedictione, & traductione sponsæ, adhibito convivio celebri, & alijs lætitiæ vanæ signis publicis. Unde Gobat in *Theol. experim. tr. 9. à n. 70.* ait, Parochum nihil agere contra ullum jus, si tempore adventus vel quadragesimæ assistat matrimonio *non solenni*, dilatis benedictionibus in tempus aliud; sed hoc intellige, nisi aliud exigat consuetudo loci, vel diocesis. Ex quo colliges,

colliges, non esse prohibitum etiam tempore illarum feriarum celebrare nuptias absque magna solemnitate, & pompa, ut docet Sanchez li. 7. hic d. 7. n. 12.

1954. Quod tempore sacrarum feriarum prohibeantur nuptiae solennes, constat tum ex c. Capellanus, de Ferijs; c. Non oportet. c. Non licet; c. Nec uxorem, 33. q. 4. & Trident. sess. 24. de matr. c. 10. tum etiam ex consuetudine totius Ecclesiae. Tridentinum sic loquitur: *ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniae; & feriâ quartâ Cinerum usque in octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari, sancta Synodus praecipit*: in alijs verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit: quas Episcopi, ut ea, qua decet, modestia, & honestate fiant, curabunt: sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum. Hinc *tempus feriatum*, jure veteri fuit tempus ab adventu ad Epiphaniam; à septuagesima ad octavam Paschatis, & à diebus rogationum ad octavam Pentecostes, ut colligitur ex capit: suprâ citatis: jure tamen novo Tridentini jam citati, est solum tempus ab adventu usque ad Epiphaniam; & à feriâ quarta Cinerum ad octavam Paschatis, *inclusivè*.

1955. Quaes. 1. an hoc tempus incipiat à primis vespertis diei praecedentis primam dominicam adventus, & feriam quartam Cinerum? de die Cinerum negativa certa est, cum non incipiat, nisi à media nocte; de dominica autem, cum per se loquendo incipiat à primis vespertis diei praecedentis, de jure dicendum foret, etiam tunc incipere prohibitionem, nisi consuetudo in certis locis aliud habeat; ita Sanchez cit. l. 7. n. 2.

1956. Quaes. 2. quae prohibeantur illo tempore? R. 1. non prohiberi nuptias, sed tantum *solemnitates extrinsecas*, inter quas non venit circumstantia, quod fiat in facie Ecclesiae, seu coram Parocho, & testibus; nam haec sollemnitas nunc est de forma substantiali, ut dictum est in superioribus. Unde cum dicitur, prohiberi etiam, *nuptias inire, c. nec uxorem. 33. q. 4. ibi: nec uxorem ducere*, intelligitur, ut ostendit praxis, *per iraductionem publicam* in domum sponsi, & benedictiones. R. 2. nec prohiberi eo tempore spon-

salia de futuro; cum super hoc nullus juris textus existat; nec iraductionem sponsae sine alijs vanae latitiae signis publicis. Nam haec sola sunt, quae inducunt nimiam mentis evagationem, quam sanctitati illius temporis inopportunitatem judicavit Ecclesia, & respexit in ijs decretis, nuptias tunc inhibentibus. Nec enim specialiter respexit ad usum conjugij, aut ejus consummationem, ut complures volunt apud Sanchez cit. n. 21. aliàs eo tempore nec liceret conjugalis usus matrimonij. Toti igitur ratio prohibendi fuit nimia mentis evagatio, dedecens sanctitatem illius temporis, quam pariunt *vana, & festiva latitiae signa in publicis plerumque nuptijs adhiberi solita*; ita Sanchez cit. n. 23.

Neque dicas: ergo etiam licite erunt benedictiones nuptiales tempore sacrarum feriarum; haec enim sunt quid matrimonio accessorium, & hoc sequitur suum principale per regulam: *accessorium, de reg. juris in 6. R. N. illatum*: ad prob. dico, eam regulam non procedere, quando pro accessorio est specialis dispositio juris; at pro sollemnitatibus nuptiarum (inter quas communi sensu venit benedictio) adhibendis in his ferijs, est specialis dispositio juris, ut dictum est; ergo.

XI.

De impedimento ex Sponsalibus.

Matrimonium impediri, ac illicitè, non tamen invalidè celebrari, contra priora sponsalia de futuro, constat ex dictis; quia per matrimonium cum alia violatur fides primae sponsae, ad quam observandam sponsi graviter obligati sunt, non tantum obligatione civili sed etiam naturali, & in conscientia, ex dictis à num. 164. Hoc tamen intellige. 1. de sponsalibus non legitime dissolutis, saltem ex parte illius, qui matrimonium contrahit contra priora sponsalia. Si enim ille, qui à prioribus sponsalibus de futuro legitime solutus est, matrimonium contraheret, non ageret contra fidem alteri obligatam. Intellige. 2. de sponsalibus pure initiis. Nam contrahens matrimonium cum alia pendente conditione, sub qua prius de futuro sponsalia celebravit cum alia, peccaret quidem contra obligationem expectandi eventum conditionis; sed non contra

contra obligationem, eam ducendi, utpote adhuc pendentem.

195. *Quaestio est 1. an hoc impedimentum, tantum impediens, nascatur ex sponsalibus de futuro, celebratis quidem invalidè contra priora, sed convalescentibus, prioribus rite dissolutis? R. quod non, nisi secunda contraxerit relata in tempus, quo priora legitime soluta sunt, ut diximus superius. Ratio hujus est, quia quod in principio nullum est, etiam jure naturali, tractu temporis non convalescit; sed sponsalia de futuro contra fidem priorum sponsalium, jure naturali invalida sunt, nisi conferantur in tempus, quo priora legitime soluta sunt; sic enim essent promissio rei illicitae etiam jure naturae; ergo.*

196. *Quaestio est 2. an hoc impedimentum impediens, afficiat adhuc sponsum, in casu, quo contra priora sponsalia inito, sed rursus soluto matrimonio per mortem uxoris, evasit liber? R. probabilius esse, quod sic. Nam priora sponsalia, per matrimonium cum alia initum cum injuria primae sponse, non sunt omnino dissoluta ex parte sponsi, sed fuerunt tantum suspensa, ut diximus à n. 273. consequenter manet primae sponse naturaliter obligatus ad servandam fidem illi datam, sublato impedimento; & obice, quo stante fidem, praestatione facti, redimere non poterat; ergo.*

§. XII.

De impedimento ex voto simplici.

1961. *Quaestio est de voto, in quantum praestat voventi impedimentum tantum impediens matrimonium contrahendum; consequenter hic sub considerationem voti non venit votum solenne. Nam, quando istud matrimonio contrahendo ponit impedimentum, praestat impedimentum dirimens, non impediens tantum, ut dicemus infra n. 1980. & seq. Et ideo in praesenti solum habetur quaestio, quale votum voventi praestet impedimentum, quo stante, valide quidem, sed illicitè contraheret matrimonium?*

1962. *Prima difficultas est de voto ingrediendi Religionem? de hoc est universalis regula, illi non esse licitum contrahere matrimonium, qui, antecederet ad talem contractum habet obligationem, ad aliquid impossibile cum matrimonio,*

consequenter, talem impediri, ne licitè contrahat matrimonium, quod est habere impedimentum matrimonij tantum impediens: Nam habens obligationem ad aliquid impossibile cum matrimonio, amplectendo matrimonium redderet sibi impossibilem observantiam illius obligationis, quod illicitum est. Ex hoc sequitur. 1. per votum ingrediendi Religionem, subsequens sponsalia de futuro, ex parte voventis impediri matrimonium contrahendum cum alia: nam per tale votum sponsalia ex parte voventis non solvuntur per dicta supr. ergo non tantum vi priorum sponsalium, sed etiam vi hujus voti ei illicitum est matrimonium cum alia.

Sequitur. 2. cum, qui post sponsalia legitime contracta, & spe futuri matrimonij per mulieris deflorationem consummata, vovit Religionem ingredi, impediri à matrimonio contrahendo cum alia vi voti, non autem cum sponsa prima, nisi competenter satisfaciatur, alias enim sine hoc votum non valet ex dictis à n. 46.

Sequitur. 3. voto Religionis ingrediendae formaliter impediri matrimonium contrahendum, esto vovens post tale votum contrahat sponsalia de futuro, sponsa spe futuri matrimonij facta, defloretur. Dixi formaliter vi voti; nam ea sponsalia nulla sunt, ex n. 247. non tamen consequenter, si scilicet damnatur mulieri eà spe defloratae injustè, non posset aliter compensari, nisi eam ducendo, ex n. 247. manente tamen impedimento impediens matrimonium cum alijs. Nam respectu aliarum urget obligatio voti.

Sequitur. 4. post sponsalia rite contracta, voventem ingredi religionem contracto, sed non consummato matrimonio, non contrahere impedimentum impediens matrimonium cum sua sponsa; quia tale votum non valet ex n. 48. & seq. Excipe, nisi superveniat alia causa, vi cuius licitè non possit religionis ingressum omittere, de quo in supra dictis.

Sequitur. 5. votum ingrediendae religionis, conceptum independenter ab alia obligatione praecedente vel subsequente, praestare voventi impedimentum impediens matrimonium ita, ut eo stante cum nulla licitè conjugium inire valeat ex num. 1962. quamvis teneat, si nihilominus contrahat, ex n. eod.

Sequi-

1966. Sequitur. 6. votum ingrediendæ Religionis non solvi, sed tantum suspendi, si quis post, vel contra illud inear matrimonium. Nam in casu, quo solveretur matrimonium morte uxoris, votum obligaret, si materia voto promissa, illi adhuc maneret possibilis; nam in nullo jure habetur, contracto contra tale votum matrimonio, illud omnino tolli.
1967. Secunda difficultas est, quale impedimentum matrimonij voventi præstet votum castitatis, non solenne, sed tantum simplex? de solenni enim dicemus infra n. 1980. R. si tale votum simplex emitatur citra præjudicium alterius obligationis antecedentis, cum cujus observantia necessaria consistere non potest votum, per tale votum simplex præstari voventi impedimentum tantum impediens matrimonium contrahendum, ratio est ex n. 1962. Nam tali casu votum obtinet vim obligandi, consequenter prohibendi, quidquid cum ejus observantia moraliter stare non potest; nisi quis certa Dei revelatione habeat, nec se, nec alterum, opus conjugij exacturum, qualiter fuit in B. V. & S. Josepho. Et de hoc ex professio egimus *tit. 6. d. n. 966.* excipe 1. simplex votum castitatis Religiose, quod post biennium Novitiatus emititur in Societate JESU; hoc enim, est tantum sit votum simplex, præstat impedimentum dirimens matrimonium contrahendum ex n. 966. excipe 2. votum simplex castitatis emissum post sponsalia pure contracta. Nam etsi tale votum respectu aliarum personarum voventi præstet impedimentum impediens matrimonium cum illis contrahendum; non tamen respectu sponsæ, ut colligitur ex dictis à n. 261. & seqq. Et hoc à fortiori procedit respectu sponsæ, si eam spe matrimonij vel ante, vel post votum defloravit, nec aliter obligationi damni accepti, nisi eam ducendo, satisfieri possit, secundum dicta loc. cit. Nec in hoc casu voventi licet illam ducere animo, contracto, at non consummato matrimonio, Religionem ingrediendi, juxta n. 48.
1968. Nota. præterea per *castitatem*, de cujus voto in præsens agimus, intelligi eam, quæ excludit omnem actum venereum non tantum extra, sed etiam intra conjugium. Ex quo sequitur à fortiori, per

votum virginitalis, voventi præstari impedimentum impediens matrimonium contrahendum; nam contra illud contrahens illicite agit. 1. se valde probabiliter exponendo violandi votum. 2. cum alteri petenti teneatur reddere, quod æquè repugnat virginitali. 3. quia habitibus votum castitatis, & multo magis virginitalis per se loquendo prohibent esse matrimonium contrahendum, constat ex supra dictis, sequitur 2. per votum castitatis solum imperfectæ (v. g. *non fornicandi, non adulterandi, non committendi peccatum carnis contra naturam*) voventi non præstari impedimentum etiam impediens tantum matrimonium contrahendum. Nam cum observantia talis voti etiam moraliter, & sine probabiliter periculo violandi votum, consistere poterit status, & usus conjugij.

Si quæras, an voto castitatis, quoad vim impediendi matrimonium contrahendum, æquivalet votum *non nubendi, ducenda vitam celibem?* R. quòd sic; quia stant tali voto, matrimonium inire, seu contrahere, directè illicitum est vi talis voti. Not. tamen, inter hæc vota, *nunquam nubendi, vitam celibem ducendi*, & inter *votum castitatis perfectæ*, etiam simplex tantum, discrimen esse. Nam qui contra illa vota matrimonium contraxit, licet non tantum reddat, sed etiam petat debitum; quia violat semel voto, ejus executio non est illi amplius possibilis, ut per se patet; consequenter post matrimonium contractum non amplius obligat: sed qui simplici voto castitatis obstructus matrimonium contraxit illicite, etiam stante conjugio, potest observare votum *non petendo*; licet alteri, legitime petenti debitum, negare non possit: ergo.

Similiter, qui post votum ingrediendæ religionem, illicite, sed valide contracto (cum possit observare votum etiam contracto matrimonio, nimirum illo non consummato Religionem ingrediendo) in talis voti, primo bimestri nec reddere nec petere potest; ubi autem semel matrimonium consummatum est vel ipso illicite petente, vel alteri, post bimestre petenti, licet reddendo, & petere, & reddere poterit in eo matrimonio; quia hoc stante vis obligativa voti saltem suspensa, si non extincta est.

Tertia difficultas est, de voto suscipiendi sacros ordines. De hoc, si antecedit sponsalia, dicendum est, quod voti præter impedimentum impediens, non tamen dirimens matrimonium contrahendum. Ratio primi est ex n. 1962. quia observantia talis voti, ad quam ejusmodi vovens naturaliter obligatur, non potest consistere cum statu conjugali, in quo saltem reddere debet alteri debitum exigenti; quod observantia voti repugnat. Si autem votum illud emittatur post sponsalia pure contracta, cum juri sponse per illud derogari non possit; non impediatur vovens à matrimonio contrahendo cum illa; nam quoad præjudicium ejus, votum non tenet; impediatur tamen à contrahendo cum alijs; quia, quoad has, quibus ante non fuit obligatus, ad contrahendum cum illis matrimonium, votum tenet; cum in hoc, quoad illas careat omni eorum injusto præjudicio.

1971. Quoniam autem frequenter contingit, quod in examine pro animarum cura illi, qui periculum examinandorum facere jubentur, ab illis exigant quiddam, vel definitionem singulorum impedimentorum, etiam eorum, quæ usu antiquata sunt, ut illis facilitatem hoc loco præstem, notandum, cum quaeritur, quid sit hoc vel illud impedimentum tantum impediens, quod ortum habet ex delicto: respondendum esse, quod sit delictum, ducens originem (v. g. ex incestu cum consanguinea uxoris, vel sponsæ de futuro, vel ex Raptu alienæ sponsæ; vel ex uxoricidio sine judicio, & sic de alijs) cui ex constitutione Ecclesiæ annexum est impedimentum, quo stante, validè quidem, sed non licitè, à tali matrimonio contrahi potest.

Si autem sit unum ex impedimentis tantum impediens, quæ originem non ducunt ex delicto; distinguendum est; nam si quaestio fiat de impedimento ex interdico, seu vetito Ecclesiæ, tempore feriato, vel Catechismo, respondendū erit, esse circumstantiā, quā stante constitutione Ecclesiæ, matrimonium contrahere non licet; Si autem de voto, vel sponsalibus, quod sit circumstantia, qua stante jure naturali, ac divino præcisè prohibente illicitum est matrimonium contrahere.

Tom. IV.

Intelligenda enim est hic prohibitio de lege, actum præcisè prohibente, non annullante. Nam stantibus his impedimentis tantum impediens, actus quidem illicitè fit, sed non nulliter, & invalidè, quantum est, vi illorum.

Ad extremum quaeres, an impedimenta solum impediens matrimonium contrahendum, quæ nascuntur ex delicto, adhuc hodie valeant? *Res. negativè*, ut jam diximus in prædictis; & hoc ex communi Doctorum consensu, ut videri potest apud Sanchez *l. 7. hic d. 17. qui n. 8.* docet, jam diu eam invaluisse consuetudinem, ut affectus aliquo ex his impedimentis, nullà dispensatione petita, ineat matrimonium, & quidem licitè, ut habet n. 9. quod maximè confirmat ex Navarro, qui, etsi centum vitæ annos compleverit, & ex diversissimis regionibus orbis in decidendis conscientia casibus requisitus, ac diu etiam Romæ versatus, in *Summa Latina c. 22. n. 75. & 85.* affirmat, se in tanta ætate nec vidisse, nec audivisse, in his impedimentis peti dispensationem; ex hoc enim satis clarè liquet leges illas, præfertim, cum non omnes fuerint Pontificiæ, sed conciliorum provincialium, legitimè abrogatas esse.

ARTICULUS III.

De Impedimentis dirimentibus matrimonium.

Impedimenta matrimonium contrahendum, vel ijs stantibus contractum, dirimentia, comprehenduntur his verbis: *Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;*
Si sis affinis, se fortè coire nequibus;
Si Parochi, & duplicis desit presentia vestis;
Raptæ sit mulier nec parti reddita tui;
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Ex quo colliges, hodie, & post Tridentinum, esse sedecim impedimenta matrimonium dirimentia. 1. errorem; 2. conditionem; 3. votum, intellige *solemnem castitatis*; 4. cognationem spirituales; 5. cognationem legalem; 6. cognationem carnalem (nam hæc tres species comprehensæ sunt in illis verbis, sub voce *cognatio*) 7. crimen, nimirum adulterij, vel

Q99

vel

vel conjugidij. 8. cultus, seu religionis disparitatem. 9. vim, seu coactionem vel præcisam seu absolutam, vel conditionalem, per metum incussum. 10. ordinem, intellige *sacrum*; 11. ligamen, seu matrimonium actu constans; 12. honestatem, seu justitiam publicam. 13. affinitatem; 14. impotentiam coeundi. 15. defectum præsentiae Parochi, & testium; 16. Raptum; cum autem de singulis jam actum sit in præmissis; pauca solum in favorem, & majorem examinandorum facilitatem per modum examinis subjiciemus.

§. I.

An sit peccatum, contrahere, cum impedimento dirimente?

1974. Esse peccatum grave, certum apud omnes, ait Castropalaus *D. 4. de sponsal. p. 3. n. 2.* cum taliter contrahens opponat se gravi vel Ecclesiae, vel naturae legi, secundum quam tale impedimentum inductum est. Cum autem transgressio legis ponatur in ea specie peccati, in qua specie est bonitas virtutis intenta per legem, cui opponitur, seu quam excludit, spectandus erit finis legum, quibus irritatur matrimonium stante tali circumstantia, cui impedimentum, dirimens matrimonium, annexum est, ut salva stet bonitas virtutis, cujus observantiam, saltem negativam, hoc est, non læsionem, lex actum, illi oppositum irritans, intendit.

1975. Porro, per legem, quæ irritum reddit matrimonium, contractum *cum errore in persona, vel conditione, raptu, vel vi, intendi honestatem* seu bonitatem justitiæ, consequenter ejus læsionem prohiberi, ne alter in re tam gravi, lædatur in jure suo, docet Castropalaus *cit. n. 2.* Ex quo fit, quod, qui scienter cum tali impedimento contrahit, committat peccatum injustitiæ contra alterum illud ignorantem. Idem dicendum est, si, habens impedimentum, ligaminis, matrimonium contrahat. Nam in hoc casu non tantum conjugii, cui prius per matrimonium adhuc durans, obstructus est; sed etiam alteri, quem sibi de facto copulat, injuriam irrogat. Similiter peccat contra justitiam contrahens cum impotentia perpetua vel abso-

luta, vel respectiva; aut non servata forma Tridentini de præsentia Parochi, & testium; ubi hoc Concilij decretum viget. Nam in primo graviter decipitur alter; cum simuletur, quod ei constituitur jus in corpore contrahentis ad usum conjugalem, quod non potest; & in altero, cum ea forma præscripta sit, ne uni conjugum fiat injustitia illum defraudando, prætentâ nullitate matrimonij, de quo utpote clam contracto, Ecclesiae non constat.

Denique contrahens cum impedimento criminis peccat contra justitiam vindicativam; cum voto, cultus disparitatem, vel ordine, contra virtutem Religionis; contra pietatem, si cum affinitate, vel cognatione; contra justitiam legalem, si cum impedimento publicæ honestatis. Nam harum virtutum bonitatem moralem, directè respiciunt leges ea impedimenta stauentes; ergo per n. priorum transgressio earum constituitur in specie peccati opposita bonitati talis virtutis.

§. II.

De impedimento ex errore.

Error, prout hic accipitur, est impedimentum dirimens matrimonium defectu consensûs, quem excludit, requisiti ad substantiam matrimonij. Cum enim error faciat, ut objectum, circa quod versatur, sit falsò cognitum, atque adeò non cognitum ipsum; sed aliud, secundum rationem, quâ per errorem proponitur, eo ipso etiam facit, quod circa illud, secundum eam rationem non sit voluntarium, seu consensûs, ut dictum est à n. 1067. Ex hoc autem sequitur, quod error circa individuum personæ faciat irritum errantis matrimonium cum illa, cum excludat consensum in eandem, sine quo non stat matrimonium cum illa ex dict. supra. Unde quando error est circa substantiam, seu individuum personæ, vel etiam qualitatem, quæ redundat in substantiam, error jure naturæ præstat impedimentum dirimens matrimonium ex dict. à n. 1067. quando autem error versatur circa substantiam, vel qualitatem, quæ redundat, vel non redundat in substantiam dictum est loco jam cit. Unde cum error est

est circa *solum* qualitatem, quæ scilicet non redundat in substantiam, hoc est, cui contrahens intentionem suam non alligavit simpliciter, matrimonium non vitatur ex *num.* 1073. & seq. excipe nisi sit circa qualitatem conditionis servilis, ut patebit ex *q. seq.* hoc impedimentum est juris naturalis; cum faciat deficere consensum ad matrimonium cum tali persona jure naturæ requisitum. Unde non subest dispensationi. Est tamen ab ipsomet errante auferibile, si cognito errore, ac defectu consensûs in hanc personam præstet liberè consensum legitimum in eam. Reliqua, quæ circa hoc impedimentum in quæstionem venire possunt, tradidimus à *n.* 1067.

§. III.

De impedimento ex conditione.

1978. *Conditio* prout hic accipitur, est impedimentum, constitutione Ecclesiæ dirimens matrimonium, ratione status servilis in uno contrahentium, ab altero ignorati. Not. autem, quòd conditio servilis non dirimat matrimonium servi cum serva, esto contrahant invitis Dominis: secus est de matrimonio liberi cum serva, vel servi cum libera, sed non nisi servitus sit à libero ignorata, ex dictis *n.* 1039. & antecedat matrimonium liberi, servitutem ignorantis, ex dict. loc. cit. Habet vim dirimendi matrimonium jure solum Ecclesiastico ex *n.* 1041. esto servitus sit solum temporalis, si in re subsit ex *n.* 1041. Hinc matrimonium liberi cum muliere, quam per errorem credebat esse ancillam, seu servam, cum in re non sit, omnino valet, ex *n.* 1041. quod accipe cum data ibid. limitatione. Ubi homo liber advertit, servam esse, quam accepit, putans liberam, potest eam relinquere thoro, & cohabitatione separatam; & transire ad alia vota post judicium Ecclesiæ, de nullitate matrimonij, si post notitiam conditionis, nec factio in eam consensit, ex *n.* 1445.

1979. Not. autem, hæc intelligi de *servis propriè dictis*, ut monuimus *n.* 1446. sciendum enim, olim apud veteres Romanos, ut constat *l. 1. Instit. de jure personarum*, alios fuisse *liberos*, quibus naturali facultate licebat facere, quidquid libebat, extra id, quod vi, aut jure prohibetur; alios *servos*, qui hanc libertatem non habebant, sed ex constitutione juris gentium

Tom. IV.

alterius dominio contra naturam subiecti sunt. Inducebatur autem servitus. 1. natiuitate. Nam nati ex serva, seu ancilla, licet pater esset liber, servi fiebant. 2. captivitate. Nam capti ab hostibus fiebant servi; secus tamen est hodie inter Christianos. 3. venditione. 4. condemnatione mortis propter crimen. Et hæc conditio servilis à libero, vel liberà ignorata dirimit matrimonium liberæ cum servo, vel liberi cum serva; cujus ratio est, quia aliàs in hoc contractu non servaretur æqualitas, ut dicitur *c. 2. 3. & ult. de conjugio servorum*, & *c. si quis ingenuus. 29. q. 2.* Nam liber plenam sui corporis potestatem alteri concedit; secus autem servus; cum ratione servitutis impediatur; probabilius est, hoc impedimentum esse juris tantum Ecclesiastici, ut fusc probat Castropalaus *d. 4. de sponsal. p. 5. q. 1. n. 3.*

§. IV.

De impedimento ex voto solenni.

Agitur hic de *solo voto castitatis*, non secundum se (nam sic non habet vim dirimendi matrimonium contrahendum ex *n.* 971. & seq.) sed *solenni*, de quo ex professo actum est *tit. 6. hic à n.* 966. Unde votum hoc loco definitur, impedimentum dirimens matrimonium tali voto affecti contrahendum, aut eo stante contractum, ut constat ex dict. loc. cit. Solennitas porro, vi cujus votum castitatis dirimit matrimonium contrahendum, vel eo stante contractum, voto castitatis emisso in professione Religiosa, vel susceptione ordinis sacri non convenit ex natura rei, & ex se præcisè, sed ex solâ Ecclesiæ constitutione, ex dictis à *n.* 971. Unde jure hodierno nullum votum castitatis vim matrimonij diremptivam *titulo solennitatis*, habet, nisi ex eo, quòd in professione religiosa, vel sacri ordinis receptione emittatur ex *n.* 972. Et ideo est impedimentum jure Ecclesiastico dispensabile, quo per dispensationem sublato, dispensatus solvitur à statu Religiosæ professionis, cum ei sit essentialis ex *n.* 946. Si autem votum solenne castitatis superveniat matrimonio prius rite contracto, non dirimit illud, *si consummatum sit* ex *n.* 444. dirimit tamen *ratum tantum*, si professio religiosa; non autem, si tale votum emissum sit in susceptione sacri ordinis ex *n.* jam citato.

Q99 2

§. V.

§. V.

De impedimento, ex cognatione spirituali.

Cognatio spiritualis est impedimentum
1981. constitutione Ecclesie dirimens matrimonium inter conjunctos vinculo spiritualis cognationis, de qua jam egimus supra titulo 11. à n. 1087. est impedimentum juris tantum Ecclesiastici per n. 1088. & quidem perpetuum ex n. 1091. inductum est ob reverentiam, quæ à baptizatis, vel confirmatis debetur baptizanti, vel confirmanti, ac Patrinis ex n. 1088. nascitur ex folio baptismi vel confirmationis collatione & receptione. n. cit. olim triplex erat, paternitas, compaternitas, & fraternitas; inter quos olim contrahebatur compaternitas, exposuimus *n. eodem*: hodie restricta est. 1. ne à viro transfundatur in uxorem; 2. ne pariat impedimentum inter ministrum sacramenti, & Patrinus; Fraternitas autem quæ erat olim, hodie sublata est omnino per n. 1092. sicut etiam Catechismus, qui erat cognatio legalis imperfecta, ut diximus cod. Tit. & superius à n. 1949.

1982. Baptizans & levans filium Pagani, vel Judæi, non contrahit cognationem spirituales cum ejus parentibus; secus, si baptizet, vel levet filium hæretici, ex n. 1095. Patrinus baptismi per Procuratorem, contrahit hanc cognationem; non autem Procurator ex n. 1096. contrahitur à Ministro etiam Laico, non autem à Patrino ex baptismo privato in casu necessitatis, & non solenni, ex n. 1098. & seq. nec contrahitur à Patrinis, cum solæ ceremoniæ baptismi suppleantur in templo ex n. 1103.

Juxta jus antiquum unus tantum Patrinus esse debebat in Baptismo; juxta Tridentinum autem ad summum duo, unus, & una ex n. 1104. Nec plures licite admittit Parochus ex n. 1105. & 1109. nec in hoc dispensat Episcopus ex n. 1105. Si tamen plures levarent, omnes hanc cognationem contraherent n. 1109. In confirmatione autem, etiam hodie, tantum unus, vel una ex n. 1106. Patrini in Baptismo debent esse baptizati, & in confirmatione confirmati ex n. 1107. potest autem agere Patrinum quilibet fide-

lis, rationis compos, nec specialiter prohibitus, cujuscunque ætatis ex n. 1108. ad quos porro se extendat hoc impedimentum, dictum est à n. 1091.

§. VI.

De impedimento ex Cognatione legali.

Cognatio legalis, de qua egimus hoc libro *tit. 12. à n. 1117.* est impedimentum, Ecclesie constitutione dirimens matrimonium eâ stante contrahendum, vel contractum, inter cognatos legaliter, per n. 1119. est impedimentum juris tantum Ecclesiastici, ex n. cod. alia est perfecta, alia imperfecta per n. 1117. dividitur in tres lineas, nimirum *rectam*, quæ constituit paternitatem legalem; *lateralem*, quæ constituit Fraternitatem legalem; & *alteram*, quæ dicitur affinitas legalis, quæ porro personæ afficiantur hoc impedimento, colligi potest ex dictis à n. 1118. Prima tamen species cognationis legalis, nempe Paternitas, non extendit se ad alias personas adoptato conjunctas in linea recta, nisi quæ tempore adoptionis erant in potestate adoptati per n. 1124. & hæc cognatio legalis in linea recta, & laterali, etiam hodie impedimentum præstat de jure. Affinitas autem legalis, ex communi consensu Doctorum n. 1120. in quantum hæc cognatio præstat impedimentum dirimens inter cognatos legaliter, secundum aliquos nascitur etiam ex adoptione imperfecta, n. 1121. probabilius, ex sola perfecta, seu arrogatione. n. cod. Paternitas, & affinitas legalis præstat impedimentum perpetuum ex n. 1123. Fraternitas autem legalis, solum temporale, durante adoptione per n. 1123.

§. VII.

De impedimento ex cognatione carnali seu consanguinitate.

Cognatio carnalis, seu consanguinitas, de qua diximus *tit. 14. à n. 1176.* est circumstantia certarum personarum ratione vinculi seu propinquitatis ortæ ab eo, quod descendant ab eodem sanguine, seu proximo stipite per carnalem propagationem, ratione cujus inter eos matrimonium

monium validè contrahi non potest. Jure antiquo cognatio carnalis præstabat impedimentum dirimens usque ad septimum gradum per n. 1229. hodie autem solum ad quartum gradum inclusivè tam in linea recta, quam obliqua, à n. 1185. & seq. solum tamen primum gradum in linea recta præstare impedimentum dirimens jure naturali, & divino, communis tenet; in ulterioribus autem, probabilibus, jure solum Ecclesiastico ex n. 1190. & 1199. quid porro sit arbor consanguinitatis, stipes, gradus, linea recta, obliqua, tam æqualis, quam inæqualis? dictum est à n. 1178. Quomodo autem computandi sint gradus consanguinitatis jure Canonico? quomodo jure civili? à n. 1181. Computus graduum secundum jus Canonicum, in utroque foro servatur, in ordine ad matrimonium; in ordine verò ad successiones, & hereditates, computus juris civilis, juxta dicta n. 1182.

§. VIII.

De impedimento ex crimine.

198. Crimen est impedimentum, indutum in certos adulteros, vel conjugicidas, constitutione Ecclesiæ dirimens matrimonium inter complices delicti. De hoc impedimento egimus *tit. 7. à n. 975.* est impedimentum perpetuum, ex n. 985. & juris tantum Ecclesiastici ex n. 975. dicitur inter certos adulteros, & conjugicidas. Nam 1. adulterium non præstat hoc impedimentum adulteris, nisi conjunctum, vel cum fide data præsentis, aut futuri matrimonij cum superstite, post alterius mortem incundi, vel cum conjugicidio juxta n. 976. & seq. ad hoc impedimentum incurrendum ex adulterio, sine conjugicidio, non sufficit solum adulterium, nec sola promissio matrimonij, sed requiritur utrumque. nec sufficit etiam fides data cum adulterio solum materiali, nec cum copula non consummata, & perfecta; nec adulterium formale, si fides data sit prius, quam adultera sciret alterum conjugatum. Ut autem dicatur ignorasse circumstantiam conjugij, sufficit, juxta Sanchez ignorantia etiam crassa, & supina ex dictis à

n. 983. & notandum, ut adulterium inducat impedimentum, quia conjunctum cum matrimonio contracto de facto, non de jure inter adulteros, aliquos censere, sufficere tale matrimonium solius facti, esto nullitas ejus proveniat ex sola clandestinitate simpliciter, seu ob neglectam formam Tridentini; ut diximus n. 986. probabile tamen est, requiri matrimonium, quod aliàs foret validum, si alter conjunx non viveret, ex n. eod. Promissio seu fides data de matrimonio etiam conjuncta cum adulterio perfecto, & formali, non præstat adulteris impedimentum dirimens, nisi sit vera, pura, & acceptata ex dict. à n. 987. Probabilius autem est, non sufficere, quòd alter præcisè non contradicat n. 988. nec etiam, nisi promissio, & adulterium fiat vivente altero conjugis, ex n. 989. & durante eodem conjugio, ex n. 992. nec si data fides ante adulterium utrinque sit revocata ex n. 993. & seq.

Conjugicidium dirimit matrimonium 1986.

inter complices delicti solum in duplici casu. 1. si unus conjugum cum alio machinatus est in mortem sui conjugis, esto nullum intercesserit adulterium; deinde, si unus tantum machinatus est conjugicidium conjunctum cum adulterio ex n. 996. Notandum autem solam machinationem mortis in vitam alterius conjugis, nisi effectu secuto, non præstare hoc impedimentum, esto facta sit ab utroque; vel ab uno cum interventu adulterij n. 1000. nec sufficit etiam effectu secuto, nisi facta sit ex intentione incundi matrimonium cum alio certo, si unus conjugum occidit; vel cum conjugis superstite, si occidit extraneus n. 1002. & probabile est, debere illam intentionem esse externè manifestatam ex n. 1003. & seq. Idem impedimentum incurritur ex eade, tam mariti, quam uxoris per n. 1010. Valde probabile est, hoc impedimentum non contrahi ab ignorante, hanc poenam esse annexam delicto ex dictis à n.

1011. & seqq.



Q99 3

§. IX.

§. IX.

De impedimento ex cultûs disparitate.

1987. De hoc impedimento egimus *tit. 9. à n. 1039.* Cultu disparēs sunt, qui non sunt ejusdem, sed diversa Religionis, & fidei; hæc disparitas cultûs inter baptizatum & non baptizatum, reperitur; est Ecclesiæ constitutione dirimens matrimonium inter eos contrahendum, aut contractum juxta n. 1059. & est impedimentum juris tantum Ecclesiastici ex n. 1060. non extendit se ad matrimonia fidelium cum hæreticis dirimenda per n. 1061. & seq. hæc tamen conjugia, ubi adest morale, seu prudens periculum perversionis; illicita sunt, per n. 1062. præsertim, si fiant cum pacto, ut omnes liberi sequantur parentis hæretici fidem, ex n. 1065. & seq. Et si autem unus conjugum infidelium conversus ad veram fidem, altero ab eo vel physicè, vel moraliter discedente, licitè, validèque contrahat matrimonium cum fidei, per hoc dissolvendo prius vinculum cum infidei; hoc tamen concessum non est, si conjuges fideles in infidelitatem lapsi sunt, & unus eorum facti penitens, ad fidem revertatur, altero in pertinacia persistente ex n. 1066.

§. X.

De impedimento ex vi, seu coactione.

1988. *Vis, seu coactio*, prout hic accipitur, est impedimentum dirimens matrimonium defectu consensûs per eam exclusi, prout de jure requiritur ad valorem matrimonij, de hoc egimus *tit. 1. à n. 389.* Vis alia est præcisâ, seu absoluta; alia conditionalis; vis, seu coactio solum conditionalis, non tollit voluntarium simpliciter; nec excusat à culpa contra legem naturalem; secus, vis absoluta ex dict. à n. 390.

1989. Vis præcisâ, seu absoluta dirimit matrimonium jure naturæ ex n. 391. & seq. coactio autem conditionata, seu metus alius est gravis, & cadens in constantem virum; alius tantum levis, ut exposuimus n. 393. & seq. Metus etiam gravis, & cadens in constantem virum, si proveniat à causa solum naturali, nec jure naturali, nec jure positivo invalidat sponsalia de futuro, vel de præsentibus ex n. 296. idem tenendum est de metu gravi, & cadente in constantem virum, *jussè incussò à causa li-*

bera ex n. 397. & à fortiori, de metu levi etiam injustè incussò, & directè ad extorquendum consensum ex n. 298. & seq. licet oppositum aliqui sentiant à *num. cit. & seq.*

Metus autem gravis, *injustè, ac directè* incussus ad extorquendum consensum, irritum facit matrimonium non tantum jure positivo, sed probabilius etiam jure naturali à n. 407. Et hoc procedit, si metus ille incussus sit ab uno contrahentium, sive ab alio, si directè intendit extorquere consensum; sponsalia tamen de futuro ex tali metu, nec jure natura à *num. 407.* nec jure positivo irrita sunt, n. 426. sed tantum irritanda, ex n. 431.

Metus exhæredationis injustè incussus & directè ad extorquendum consensum à liberis, invalidat matrimonium utraque jure ex n. 486. hic metus *injustè* incussus liberis à parentibus, quoties ejus minæ, vel ipsa exhæredatio contingit propter matrimonium à liberis initum, contra voluntatem parentum, quam in tali casu licitè prætere poterant ex n. 487. probabilius est, *injustè* exhæredari filium ex hoc, quòd nupserit indigno, si prius non recusavit nuptias cum dote oblatas, nec luxuriosam simul vitam elegit ex n. 497. an, & quale impedimentum matrimonio præstat metus amittendæ dotis; item metus pœnæ, à Dominis, vel Magistratibus Laicis statuta? exposuimus à n. 433.

§. XI.

De impedimento ex Ordine Sacro.

De hoc impedimento à nobis actum est *tit. 6. à n. 938.* Notandum autem, quòd prima tonsura, vel quatuor minores ordines matrimonio contrahendo nullum præstant impedimentum per n. 938. contracto tamen matrimonio ejusmodi Clerici amittant beneficia prius obtentâ, cum exceptione in n. cit. Ordo facer sic ordinato præstat impedimentum dirimens matrimonium ab eo contrahendum, aut eo stante, sine dispensatione contractum ex n. 942. non autem si prius sit rite contractum ex n. 947. Ordo facer vim dirimendi matrimonium non habet ex se, & jure naturali, vel etiam positivo divino ex n. 941. obligatio servandi continentiam, quam habet Clericus ordinatus in facris, non est de essentia status Clericalis, etiam in

in facris, ex *n. eod.* nec illi annexa est ex natura rei per *num. 942.* sed sola Ecclesiæ constitutione per *n. eund.* & probabiliter immediate ex voto solenni castitatis, mediate autem ex Ecclesiæ præcepto ex *n. 944.* saltem in casu, quo à Clerico non regulari tacite votum castitatis in receptione sacri ordinis emissum est; si enim per malitiam ab eo missum esset, adhuc teneretur sic ordinatus ad continentiam, sed immediate vi præcepti, ex *n. 954.* & tali casu adhuc maneret inhabilis ad matrimonium jure contrahendum, ex *n. 956.* & seq. quando autem dicitur, quod alia sit causa Clerici, alia Monachi, quoad obligationem servandi continentiam, illa alienitas, seu differentia non sita est in eo, quod Clerici non regulares ad continentiam servandam non teneantur ex voto; sed solo Ecclesiæ præcepto; regulares autem ex voto: sed in hoc, quod, licet ambo teneantur ex voto, tamen Clerici non regulares id non habeant ex vi *status Clericalis in sacris*; secus Regulares, vi *status sui regularis*, eò quod illa obligatio pertinet ad essentiam status Religiosi; non autem status Clericalis, ex *n. 942.* & 946.

§. XII.

De impedimento Ligaminis.

De hoc egimus *tit. 4. à n. 729.* per *ligamen* hic intelligitur matrimonium actum consistens inter duos; & est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, aut eo stante contractum ab uno conjugum cum alio, seu alieno, juris divini positivi, non naturalis ex dicto *à num. 738.* & procedit, licet primum matrimonium sit tantum ratum; secundum autem etiam consummatum; imò & juratum ex dicto *à n. 733.* primum autem matrimonium ratum tantum nullà potestate humana nisi summi Pontificis solvi posse, sic, ut conjugibus illis transire liceat ad alia vota probabilissima sententia tenet, ut retulimus *à n. 1611.* alijs tamen hoc negantibus *à n. 1621.* solvitur tamen secutà professione religiosa per *n. 1609.* post legem Evangelicam, etiam infidelibus polygamia, seu uxorum simultanea pluralitas illicita est ex *n. 749.* & horum matrimoniorum consummata, imò etiam rata tantum, nullà potestate humanà dissolvi possunt ex *n. eod.* & seq. possunt tamen in casu,

quo infidelis ad fidem conversus est, altero in perfidia remanente, ac converso pacificè convivere recusante, juxta *n. 742.* Tunc tamen prius matrimonium in infidelitate contractum ex unius conversione non solvitur *ipso facto*, sed contracto matrimonio cum fidei *n. 755.* & seq. quæ notitia de obitu prioris conjugis requiratur, ut alter conjugum licitè transeat ad secunda vota; dictum est *à n. 2830.*

§. XIII.

De impedimento publicæ honestatis seu justitiæ.

Impedimentum publicæ honestatis est *1994.* propinquitas personarum, proveniens ex sponsalibus, dirimens matrimonium contrahendum, aut eà stante contractum à quolibet sponforum cum consanguineis alterius; ut exposuimus *tit. 1. à n. 191.* ubi, Cur hæc propinquitas, Ecclesiæ constitutione, dictum effectum producens, vocetur publicæ honestatis, vel justitiæ; expostum est. Est impedimentum juris tantum Ecclesiastici per *n. 392.* & quidem perpetuum ex *n. 195.* non datur nisi inter sponsum, & consanguineos sponsæ; ac inter hanc & consanguineos sponi ex *n. 194.* nõ autem inter eorum affines, aut consanguineos ad invicem, per *n. eund.* & seq. Nascitur ex sponsalibus tam de futuro, quam præsentis, iisque puris, certis, nec factis in præjudicium priorum sponsalium ex *n. 196.* & quidem juxta jus antiquum etiam ex invalidis præterquam ex defectu consensûs ex *n. 202.* hodie autem, & jure novo solum ex validis per *num. 208.* & seq. Olim extendebat se usque ad quartum gradum, per *n. 223.* & quoad hoc nihil mutatum est à Tridentino, quando nascitur ex sponsalibus de præsentis ex *n. 223.* si autem provenit ex sponsalibus de futuro, hodie non excedit primum gradum ex *n. 223.* an verò nascatur ex sponsalibus principio validis, sed postea sponforum consensu mutuo dissolutis? diximus *à num. 206.*

§. XIV.

De impedimento ex affinitate.

De affinitate specialiter actum *tit. 14. 1995.* *à n. 1211.* ubi etiam exposuimus, qualiter jure civili, qualiter canonico accipiatur. Jure civili non nascebatur ex copula fornicaria; secus de jure canonico, *à n. 1212.*

& seq. & in ordine ad præstandum impedimentum matrimonio non attenditur affinitas secundum leges, sed secundum sacros canones ex n. eod. Non nascitur ex copula, nisi perfecta, & consummata per n. 1213. & de jure canonico tam fornicaria, quam conjugali per n. 1215. ex affinitate non nascitur affinitas per n. 1214. & n. 1223. Unde inter consanguineos viri, & mulieris, inter quos habita est carnalis copula, nulla est affinitas, nullum impedimentum exinde, per n. 1214. & seq. sed tantum inter virum, & consanguineos mulieris cognita ab illo, ac inter istam, & consanguineos viri. Consanguinei talis mulieris, in eo gradu, & linea, sunt affines viro, in quo gradu, & linea, sunt consanguinei mulieris, & vicissim consanguinei viri in eo gradu & linea sunt affines mulieris, in quo gradu & linea sunt consanguinei viri, juxta regulam in n. 1225. ubi etiam n. 1227. dedimus regulam construendi arborem affinitatis.

Affinitas, saltem de jure canonico, habet suos gradus per n. 1228. & alia est legitima, alia illegitima ex n. 1217. & seq. Utraque dirimit matrimonium inter affines, ex n. 1216. & seq. jure tamen solum Ecclesiastico, etiam in primo gradu tam lineæ rectæ, quam transversæ, seu lateralis per n. 1231. & seq. & quidem perpetuo ex n. 1216. & seq. olim utraque extendit se ad septimum gradum inclusivè; hodie autem legitima, solum ad quartum; illegitima ad secundum duntaxat gradum inclusivè, per n. 1229. de penis autem contrahentium in gradu prohibito, dictum est à n. 1238. Affinitatis tria sunt genera, ex n. 1218. ubi in seq. expositum, quomodo & quando, primum, secundum, & tertium genus affinitatis contrahatur. Cæterum genus non mutat gradum affinitatis ex n. 1219. inter consanguineos viri, & mulieris, inter quos copula intercessit, nasci potest affinitas secundi, & tertij generis, per n. 1220. secundum, & tertium genus in ordine ad matrimonia, jure canonico non attenditur ex n. 1223. attenditur tamen quædamque in alijs causis per n. jam citatum.

§. XV.

De impedimento ex impotentia.

De impotentia agitur tit. 15. à n. 1261. est vitium corporis naturale, vel accidentale, impediens coitum, per n. 1273. Talis impotentia coeundi, seu exercendi copulam perfectam, seu naturalis, five accidentalis, præstat impedimentum impotenti, dirimens matrimonium contrahendum, aut eo stante contractum; ex n. 1265. & seq. & quidem quoad omne matrimonium, si sit naturalis absoluta, & perpetua; vel si respectiva, solum cum illo, respectu cuius impotens est, non respectu aliorum, per n. 1266. non autem si solum sit temporalis per n. 1268. est impedimentum juris naturalis ex n. eod. nascitur vel ex frigidity in viro, n. 262. vel ex nimia arctitudine in femina per n. eund. vel ex maleficio, aut alia causa extrinseca in alterutro, aut utroque per n. eundem. Sterilitas nullum parit impedimentum matrimonio per n. 1272. nec impotentia superveniens matrimonio rite contracto, etiam rato tantum ex n. 1274. & seq. nec senium, vel infirmitas ex n. 1284. & seq. quid dicendum de hermaphroditis, enouchis, & spadonibus, constat ex n. 1286. & seq. de impotentia ex parte mulieris, & ad quid teneatur, diximus à n. 1289. & impotentia dubia, à n. 1294. an conjunctus potens, & quando ac qualiter reclamare possit contra matrimonium ex impotentia alterius? à n. 1296. an matrimonium ob unius impotentiam dissolutum restaurari, & quomodo debeat à n. 1309.

§. XVI.

De impedimento ex clandestinitate.

Hoc impedimentum inductum est jure Tridentini: unde clandestinitas hic supponit pro defectu formæ à Tridentino præscriptæ in contractu matrimoniali, nimirum ut fiat *in facie Ecclesie*, seu in præsentia Parochi, & testium; de illo egimus tit. 3. à n. 632. olim matrimonium contractum cum tali defectu, seu cum dicta clandestinitate, validum erat, sed illicitum, ex n. 633. hodie autem, ubi decretum

tum Tridentini publicatum est, non tantum est illicitum (nam quoad hoc nihil innovatum est) sed etiam invalidum propter inhabilitatem contrahentium ad sic contrahendum, inductam à Tridentino per n. 635. Neque per hoc ab Ecclesia in materia hujus sacramenti, facta est ulla mutatio formalis, ut expositum est à n. 1887. sponsalia autem de futuro etiam hodie non tantum validè, sed etiam licitè sunt clandestinè per dicta à n. 123.

1998. Decretum Concilij, irritans matrimonium simpliciter clandestinè celebrata in loco, ubi publicatum est, non est penale per n. 637. Forma à Tridentino præscripta (ut matrimonium fiat in facie Ecclesie) est substantialis, & non merè probatoria ex n. 638. dictum decretum (in quantum irritans) non obligat ubique, sed tantum, ubi publicatum est, n. 640. Et quamvis matrimonium sponforum retinentium domicilium à loco, ubi hoc decretum locum habet, ad alium de industria transeuntium, ubi Tridentinum non obligat, ut ibi clandestinè contracto matrimonio revertantur ad propria, validum censet Sanchez & alij, ut retulimus n. 643. contrarium tamen sentiunt alij svidem à n. 644. Tale tamen matrimonium, si non valet in vim matrimonij, valet saltem in vim sponsalium de futuro ex n. 651.

Ubi ad valorem matrimonij requiritur præsentia Parochi, necessaria est præsentia ejus, qui est proprius sponforum Parochus, vel alius de ipsius licentia Sacerdos, per n. 657. Est autem in ordine ad hunc effectum Parochus proprius, si saltem unus sponforum sit ejus Parochianus, ex n. 660. & seq. Proprius sponforum Parochus, etiam in aliena Parochia validè assistit matrimonio suorum ex n. 661. imò & licitè, secluso scandalo, ex n. 662. sufficit autem tam Parochi, quam testium, præsentia moralis, de qua n. 673. etiam si vi, vel fraude Parochus, & testes detinerentur per n. cit. & seq.

1999. Præter proprium sponforum Parochum nullus validè assistit eorum matrimonio, nisi sacerdos de ipsius, vel Ordinarij licentia, ex n. 677. & seq. Talis sacerdos à Parocho, vel Ordinario delegatus ad causam specialem v. g. ut assistat horum matrimonio, non potest subdelegare alteri

Tom. IV.

nisi expressè cum hac potestate, quòd possit alteri subdelegare, constitutus sit ex n. 681.

De poenis matrimonij clandestini jure statutis in sic contrahentes, vel eorum liberos, egimus à n. 694. de denuntiationibus à n. 684. qui presumit assistere matrimonio secundum quid clandestino, seu culpabiliter omisis denuntiationibus, per triennium ab officio suspendendus est, ex n. 725. & seq. assistens autem matrimonio alienorum, aut eos benedicens, manet suspensus, dum ab Ordinario ejus Parochi, qui assistere debebat, absolvatur ex n. 728. Testes, qui assistunt matrimonio vel simpliciter, vel secundum quid clandestino, arbitrio ordinarij puniendi sunt ex n. eodem.

§. XVII.

De impedimento ex Raptu.

Raptus mulieris (de quo actum à nobis est *tit. 1. à n. 507.*) causà matrimonij cum ea incundi, jure novo Tridentini est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, aut eo instante contractum, inter Raptorem & Raptam, quam diu ipsa est in potestate raptoris, ex n. 709. & probabiliter etiam procedit, si mulier rapiat virum ex n. 521. Raptus autem non dirimit sponsalia de futuro ex n. 128. nec matrimonium inter raptam, & eum, qui rapit nomine alieno ex n. 518. non attenditur ad effectum dirimendi qualitas mulieris, ex n. 519. nisi sit sponsa propria, ex n. 514. cum limitatione ibidem posita. Est impedimentum juris tantum Ecclesiastici, ex n. 707. & solum temporale ex n. cod. & hoc impedimentum stat, esto mulier rapta consentiat in matrimonium, dum adhuc est in potestate raptoris, ex n. 516. intellige, si raptus est factus ex fine incundi matrimonium cum rapta ex n. 510.

Not. autem, non committi raptum, sub dicta dispositione irritante Concilij comprehensum, si mulier consentiens abductioni, vi opprimeretur, ex n. 515. secus, secundum aliquos, si vir uxorem invitam raperet, ut durante matrimonio rato tantum, eam opprimeret, ad consummandum matrimonium, ne religionem ingredi possit ex n. 515. sed contrarium proba-

R r r

proba-

probabilis est; quia raptus non habet vim dirimendi pro casu matrimonij prius rite contracti; unde hoc procedere potest solum, quoad penas Raptus.

2003. Quamvis autem in theoria hujus impedimenti nulla sit difficultas de nullitate matrimonij inter Raptorem, & Raptam, contracti, quando constat intervenisse raptum, prout est sub dispositione Concilij, tale matrimonium irritans; cum expressa, & clara sit ejus dispositio, ut rectè notat de Luca lib. 14. in *Annotat. ad S. C. Trid. discurs. 28. n. 1.* quia tamen saepe intercurrunt quæstiones facti (quæ diversis scriptentium opinionibus involvuntur) & sunt potius dubitationes quoad applicationem casus particularis ad eam regulam Tridentini, nimirum super verificatione qualitatis veri, quæ sufficiat ad annulationem matrimonij, ac incursum poenarum, in decreto Concilij contentarum: ideo

2004. Quæres. 1. an illa dispositio Concilij irritantis matrimonium locum habeat, ubi cum vera, & positiva violentia mulier abducitur è domo patris, vel alterius conjuncti, seu educatoris, etiam inviti, & contradicentis nullo præcedente tractatu de matrimonio? R. affirmativè cum de Luca *cit. n. 5.* quia in hoc casu concurrunt omnes qualitates raptus, de quo egit Tridentinum, si factus est ex fine matrimonij ineundi, juxta dict. à n. 513. cum seq.

2005. Quæres. 2. an locum habeat in casu, quo (nullo præcedente tractatu super matrimonio futuro) puella volens abducitur è domo patris, vel educatoris, etiam positivè inviti? Affirmativam tener de Luca *cit. n. 5.* quia consensus puellarum, quæ nimirum de facili subjacent seductionibus, non videtur habendus in consideratione. Sed contrarium probabilis est; cum decretum irritans non fundetur in facto, sed probabili periculo, lædendi eo casu libertatem Raptæ ad consensum matrimonio substantialem requisitam; dispositio autem talis locum habet, etiam si periculum in casu particulari deficiat; ut patet in decreto irritante professionem religiosam, factam ante annum ætatis 16. completum.

2006. Quæres. 3. an decretum hoc casu irritans matrimonium habeat locum ubi (nullo tractatu matrimonij prævio) puella vo-

lens abducitur è domo patris, vel alterius ignari, vel absentis, aut dormientis, nulla positivè violentiâ accedente? Affirmativam tener de Luca *cit. n. 6.* sed ibi videtur loqui de jure civili, & quoad penas talis raptus; non quoad vim dirimendam matrimonij, quæ attenditur solum secundum dispositionem juris Ecclesiastici.

Et quamvis apud eundem n. 7. aliqui velint; idem procedere de jure canonico antiquo, innixi aliquibus canonibus relatis in decreto Gratiani, pro consueto Legistarum abusu (ut ipse loquitur) ut unus alium transcribat, nullâ habita consideratione, an bene vel malè dicatur? eorum tamen doctrina locum habere non potest; quia decretum Gratiani non habet vim legis, utpote continens privatam collectionem plurium sententiarum SS. PP. vel decretorum CC. generalium, vel provincialium, aut aliquarum legum civilium, ex quibus ea tantum valent quantum valet autoritas in foro Ecclesiastico eorum, qui sunt conditores earum. Et ideo meritò, quoad quæstionem propositam resolvit negativam n. 10. ut jam diximus supra.

Quæres. 4. an dictum decretum irritans matrimonium Raptoris cum rapta locum habeat, ubi prævio tractatu matrimonij puella volens rapitur, in invitam, vel saltem ignorantibus parentibus, aut ipsorum curæ subest? R. negativè, si tractatus ille prævio continebat sponsalia. Nam raptus sponse propriæ non subest illi decreto irritanti, ut diximus supra, etiam si alij inviti sint; intellige tamen cum limitatione ibidem data; nec poenis à jure statutis; sic Castropalaus *d. 4. de sponsal. p. 2. q. 2. n. 8. ex c. penult. de Raptoribus.*

§. XVIII.

De impedimento ex defectu ætatis.

Non agimus de defectu ætatis, ex quo fit, aliquos nondum habere usum rationis; ut, cum requisita deliberatione, (de qua à n. 380.) consensum, ad contractum præsertim indissolubilem, atq; ad eò perpetuum, & valde gravem, præstare non possint; sed eo, quo stante, jure solum Ecclesiastico sponsalia, vel matrimonia irritantur. Et quamvis, ut patet ex dictis, ætas non contineatur inter impedimenta dirimentia,

supra

suprà enumerata (sicut nec conditiones, que contrariantur substantiæ matrimonij, de quibus fusc actum est *tit. 5.*) de illo tamen defectu in præsens etiam breviter dicendum venit.

Ad valorem igitur sponsalium de futuro jure Ecclesiastico requiritur septennium completum ex n. 585. & quamvis aliqui censent sufficere septennium completum *moraliter*, malitiâ nimirum ætatem supplente, ut diximus n. 589. & seq. probabilis tamen est, requiri septennium *physicè* completum, ex n. 591. Ex hoc fit defectum septennij *physicè* completi, constitutione Ecclesiæ, dirimere sponsalia de futuro; cum ea, stante hoc defectu contracta, probabiliter non valeant, ut dictum est; ad matrimonium autem validè contrahendum, jure canonico, requiritur in contrahentibus ætas legalis nimirum pubertatis, à jure definitæ, quæ habetur non tantum numero annorum 14. in masculis, & 12. completorum in feminis; sed etiam cum malitiâ supplet ætatem, ut diximus à n. 601. & seq.

P A R S II.

De Dispensationibus Matrimonialibus.

Cum non raro contingat, occurrere ^{2010.} iustas causas, ut, qui propter impedimentum inter ipsos existens matrimonium vel licent, vel etiam validè contrahere non possunt, lege illud vel præcisè prohibente contrahere, vel etiam annullante, à tali lege solvantur: plures autem difficultates occurrant tum in libello, seu supplicatione pro dispensatione impetranda; tum in rescripto, seu dispensationis concessione, communiter multiplicibus clausulis modificata, quæ obicem vel dubitationem cavere possint, ad calcem hujus questionis tractatum aliquem super hoc adijcere placuit.

ARTICULUS I.

De dispensatione in genere.

^{2011.} Præmitto hunc articulum, præsertim quoad questionem, an dispensatio cadat in jus naturale, & divinum? vel an dispensatio inferioris cadat in legem superioris?

Tom. 17.

Nam sine horum notitia vix rectè possunt resolvi quæstiones de dispensationibus in impedimentis matrimonij, de quibus hic agendum erit. Dispensatio, prout hic accipitur, est juris alicujus relaxatio; seu exemptio alicujus à legis obligatione, ut colligitur ex *c. de multa* & *qui. 1. quæst. 7.* Et ideo vocatur etiam *moderatio canonum. c. Ipsa pietas. Q. si inquirat. 23. q. 4.* ejus effectus est, ut, quod de jure est illicitum, dispensatione fiat licitum. Hinc dispensatus in aliqua juris inhabilitate, fit habilis æquè, ac habilis naturaliter, seu habilis de jure communi. Nam fictio juris tantum operatur in casu ficto, quantum veritas in casu vero. *L. Filio. ff. de Lib. & Posthum. & factum civiliter eundem habet effectum, quem factum naturaliter. L. fin. ff. mandat. L. si mater. C. de Jusf. intellige, in casibus, ad quos jure disponente talis fictio porrigitur;* non autem, secus; Et ideo quoad habilitatem personæ dispensatæ nulla admittitur distinctio inter habitalem *naturaliter*, seu de jure communi; & habitalem *ex dispensatione*; cum procedant ab eodem fonte, nimirum Principe, qui potest lege suâ inducere habilitatem, & inhabilitatem, nimirum vel condendo legem generalem, sive inducendo jus singulare; Sic Vincent. de Justis *l. 1. dispens. matr. c. 1. n. 12.* Dispensatio non est lex, sed remissio legis, & secundum quod est in dispensato, est jus privatum *c. 33. q. 2. c. Interfellores 13. & c. in adolescentia. 14.*

Dispensatio etiam non est privilegium. ^{2012.}
1. quia hoc aliquando præter jus conceditur; Castropal. *tom. 1. tr. 3. d. 6. p. 1. n. 8.*
2. quia hoc quandoque conceditur sine causa, Sanchez *l. 8. matr. d. 1. n. 1.* Nec est irritatio legis, impediendo, ne robur acquirat; v. g. necessariam illi confirmationem negando. Nam dispensatio non tollit legem, sed tantum eximit ab illa; Salas *de Legibus, d. 20. s. 1. n. 2.* Nec est interpretatio legis; hæc enim non eximit à lege, sed solum ex debitis principijs deducit, in tali casu legem vim non habere, aut in hoc, vel illo sensu accipiendam esse; Arriaga *Theol. tom. 2. d. 5. s. 6. n. 47.* Deinde *dispensare* est actus jurisdictionis; *interpretari* non est actus jurisdictionis, sed doctrinæ. Nam quilibet vir doctus potest doctrinaliter legem interpretari; non tamen dispensare legem. Nec etiam

R r r 2

est

est abrogatio legis; hæc enim legem jam conditam omnino cassat. Nec est derogatio legis: nam hæc cassat legem pro aliquo tempore, vel pro aliqua parte communitatis, vel pro aliqua parte legis, si hæc habeat latitudinem secundum materiam, ut habetur *L. 102. ff. de Verb. significatione. L. Derogatur. ff. de reg. jur.* ibi: *derogatur legi, cum pars detrahatur; abrogatur, cum prorsus tollitur.*

2013. Dispensatio non est pura permissio. Nam hæc non tollit legis obligationem; cum Deus peccata permittat, quin dispense in lege illa prohibente. differt ab absolute solutione à peccatis, & censuris; hæc enim non vulnerat, seu relaxat jus, sed implet; nec eam potest quis sibi impertiri; secus, dispensationem. differt à simplici licentia, requisita per legem. Nam talis licentia non est contra legem, sed potius ejus impletio; lex enim prohibens aliquem actum *sine licentia*, non vulneratur, seu non relaxatur, faciendo actum *cum licentia*. differt à privilegio, ut dicitur *L. 5.* Nam hæc non est semper contra jus, sed sæpe præter jus; dispensatio autem semper est contra jus; & ideo dicitur *vulnerare jus*, ac ejus interpretatio, utpote rei odiosæ, stricta est, ut dicemus, his præmissis.

2014. Alij, *dispensare* dicunt, idem esse ac *aliquem à legis obligatione solvere*; dicitur, quasi à *his pensando*; quia fieri debet maturè, ac consultò, iustà causâ suadente, & circumstantijs bene pensatis; & ideo dispensatio ab illis definitur, *juris communis relaxatio, facta cum cause cognitione ab eo, qui potestatem habet*; ita Sanchez *de matr. l. 8. d. 1. n. 2.* Verùm cum dispensatio fiat non tantum relaxando jus *commune*; sed etiam *municipale, synodale, vel statutarium*, ly *juris communis* non rectè apponitur; & quia multi ad valorem dispensationis non exigunt causam, rectius etiam ly *cum cause cognitione* omittitur. Denique nec potestas dispensantis necessariò exprimitur; cum ex rei natura sit, quòd dispensans debeat habere potestatem dispensandi; nam aliàs nihil a-



§. I.

An jus naturæ cadat sub dispensationem.

Ante resolut. not. 1. jus naturale aliud esse *preceptivum*, aliud *concessivum*. Nam homines jure naturæ liberi sunt; bona communia sunt; conceditur matrimonium, non tamen præcipitur; & hæc, quæ sunt juris naturalis tantum concessivi, ab hominibus mutari possunt, ut diximus alibi; & constat in plurimis, ubi ea juris naturalis concessio, tam Ecclesiastico, quàm seculari jure restricta est.

Not. 2. materiam juris naturalis præceptivi esse illam, quæ ex se & antecedenter ad omnem voluntatem liberam habet moralitatem fundamentalem, seu materialem sub talibus circumstantijs; seu quod idem est, convenientiam seu convenientiam, cum natura rationali, quæ tali, ut pluribus exposui in Tractatu Theologico de peccatis; & quidem ita, ut aliquorum materia secundum suam moralitatem, seu honestatem, vel malitiam materialem, non pendeat à dominio Dei, ut sunt odium, blasphemia Dei &c. aliorum autem materia pendeat à dominio Dei, ita, ut si Deus uti velit suo supremo dominio, in circumstantia talis suppositionis non obligent, cò quòd, ut subiant tali circumstantiæ, non sint obiectum juris naturæ præceptivi.

Exemplum hujus est in Abraham respectu filij Isaac. Nam etsi *occidi à proprio patre filium omnino innocentem*, secundum se præcisè consideratum, jure naturæ sit illicitum; si tamen consideretur sub circumstantia DEI titulo supremi dominij (quo potest disponere de vita quorumlibet hominum) præcipientis; ut *pater filium suum occidat*, non amplius est materia juris naturæ prohibentis, conjunctum cum ea circumstantia; consequenter, *non occidere* non erit contra jus naturale; cum non præcipiat de hac materia, secundum quod pendet à dominio DEI, his positis.

æ. ad quæst. nullam dispensationem prædictam posse *directè* cadere in jus naturale; ita Suarez *de Legibus l. 2. c. 14. n. 5.* & complures alij. Nam stante materia legis naturalis, ea ex se, & antecedenter ad omnem legem extrinsecam est materialiter bona, vel mala ex n. 2016. ergo quam-

diu objectum tale manet, quale cadit in legem naturæ, si malum est, & illicitum, nequit cadere sub ulla dispensationem; hæc enim deberet facere licitum, quod eo jure illicitum est, ex n. 2011. Nec enim unquam fieri potest, quòd sit conveniens naturæ rationali quæ tali, concedi, quod de se malum est, aut ex se illi disconveniens; vel omittere, quod de se debitum est. Et ideo exempla, quæ affert Sanchez l. 8. de matr. d. 6. n. 5. ad probandum, dispensasse Deum in jure naturali, non sunt de materia, secundum quod sunt objectum juris naturæ præceptivi, sed mutatâ ratione circumstantiæ adjunctæ, secundum quam non cadunt sub jus naturæ; ut ostensum est in n. 2017.

Dices: quilibet Legislator in suis legibus dispensare potest; vel per se, vel per alium; leges enim ex ejus voluntate fortuntur vim obligandi; at Deus præceptorum naturalium est legislator; ergo. 3. majorem procedere de legibus, quarum materia est mala, quia prohibita; non autem prohibita, quia ex se mala; materia legis naturalis, in quantum cadit sub legem naturæ, non est mala, quia prohibita; sed prohibita, quia mala; & ideo nullius legislatoris voluntate, secundum eam rationem, quæ cadit sub jus naturæ prohibens, fieri potest licite; secus, si accedit ei circumstantia ex dominio Dei, quando ab eo pender, ut dictum est.

§. II.

An in jus divinum positivum cadat dispensatio?

2020. Quid possit Deus, si velit, in legibus suis positivis, hoc est, liberè à se conditis, dispensare, non est dubium. Nec opus est aliâ causâ, quàm liberâ voluntate Dei; hæc enim est regula omnis honesti. Quæstio est, an hæc potestas à Deo concessa sit hominibus, & quibus? nam posse Deum alicui concedere facultatem, ut, non suo, sed Dei nomine dispenset in jure divino dumtaxat positivo, certum videtur, cum id possit Legislator humanus. Illud prius notandum, non esse credendum, quòd Deus alicui hanc dispensandi potestatem commiserit, nisi hoc vel autoritate Ecclesiæ, vel aliâ Dei revelatione, per Ecclesiâ probata constet, c. Nisi cum pri-

dem, de Renuntiatione, & c. Cum ex injuncto, de heret. ibi: non sufficit cuiquam tantum nudè asserere, quòd ipse sit missus à Deo; cum hoc quilibet hereticus asseveret: sed oportet, quòd astruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel scripturæ testimonium.

Potissima difficultas est circa summum Pontificem, an habeat potestatem in jure divino positivo dispensandi? de quo ex professo lib. 1. tit. 2. Possè in omni jure positivo divino ex causâ gravi, & urgente, seclusis articulis fidei, affirmat Abbas in c. Proposuit: de concess. præbend. n. 20. Felinus in c. quæ in Ecclesiâ, de Constit. à n. 19. Idem tenet Sanchez l. 8. matr. d. 6. n. 6. sed non nisi pro casu, quo videtur esse majus Dei obsequium, dispensationem concedere, quàm jus divinum tunc integrè servari; sed negativa mihi omnino videtur probabilior, saltem extra casum, pro quo non habetur ex Dei revelatione, vel per Ecclesiæ autoritatem, summo Pontifici concessam esse hanc potestatem dispensandi in jure divino, si hoc non fundetur in humano contractu; ita Suarez l. 18. de Legibus c. 6. n. 7. cum D. Thoma. 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. & 2. 2. q. 88. à 10. ad 3. cum alijs; quam opinionem verissimam esse affirmat Castropalaus p. 1. tr. 3. d. 6. p. 3. n. 5. cum pluribus ibid. relatis; nisi pro casu particulari constet ex revelatione divina; id, quod maxime procedit de dispensatione directa in jure divino positivo.

Ratio est. 1. quia nullibi habetur, Pontifici hanc potestatem esse commissam. Nam ex illis verbis; quodcumque ligaveris super terram, cum sint nimis generalia, id non infertur. 1. quia, cum causa, de qua agitur, sit gravissima, requirit concessionem specialem. 2. quia exinde redundarent mala sanè admodum gravia in unitatem Ecclesiæ quoad religiosum DEI cultum in sacrificijs, & sacramentis. Nam si hæc, voluntate summi Pontificis variari possent, ubi in his foret unitas Ecclesiæ? Si enim Pontificia potestate fieri possent; licet, valdeque confertri baptismum in aquâ dubiè naturali; cum adest naturalis; consecrari corpus, & sanguinem Domini, ubi deest materia ordinaria, & jure divinæ institu-

institutionis requisita, aperire accepta in sigillo Sacramentali, quando aliàs Sacerdoti, vel etiam Regno impendet interitus, &c non invenio, qua ratione firmitas Ecclesiæ in hoc Dei cultu, jure divino præcepto, stare possit; aut quæ necessitas exigere, ut divina lex positiva mutetur. ut rectè observat Castropalaus *tom. 1. tr. 3. d. 6. p. 3. n. 5.*

2023. Dixi n. 2021. si non fundetur in humano contractu. Nam in humano contractu dispensare potest Summus Pontifex, quando id exigat gravis causa; ergo indirectè dispensando in fundamento, cui jus divinum innititur, dispensare poterit in tali jure divino *indirectè*; secus est de dispensatione *directa* juris divini in materijs, quæ sunt independentes ab humana voluntate, ut est materia Sacramentorum, Sacrificium, &c. dixi 2. non censeri communicatam homini potestatem à Deo, dispensandi in jure divino absoluto, nisi constet, vel ex Dei revelatione per Ecclesiam probata, vel per ipsius Ecclesiæ auctoritatem pro tali casu, vel materia factam esse talem concessionem, qualiter ex usu, & traditione Ecclesiæ constat, indultam esse summo Pontifici facultatem dispensandi in votis, & juramentis, quæ dicuntur juris divini; sed de his V. dicta supra.

2024. Hinc non improbabiler dici potest, eo casu, cum Pontifex dispensat (in voto v. g.) non relaxari *directè* jus divinum; sed tantum *indirectè*, subtrahendo illi divino juri materiam, quæ est ipsum votum; qualiter indirectè tollit votum, materiam voti reddens voventi re, vel jure impossibilem; quo casu jus nascens ex voto non est independens ab eo, quod excedit potestatem Ecclesiæ.

Similiter, quod Ecclesia possit in aliquo casu, de quo supra, dissolvere matrimonia infidelium consummata, habetur Dei revelatione; & matrimonia fidelium rata tantum, professione religiosa, ex n. 444. Denique ipsam etiam professionem. 1. tollendo solennitatem votorum, quæ habetur ex sola Ecclesiæ constitutione ex dict. num. 445. deinde remittendo obedientiam, per quam Religiosus subditur suo superiori, cum Pontifex sit supremus superior omnium aliorum superiorum in Religionibus; remissa autem obedientia, cadunt etiam vota paupertatis, & castitatis Religiosa;

cum hæc habeant conditionem tacitam *quoad sub Religiosa obedientia vivere.*

Dices: ex hoc sequitur, quod Religiosus per Pontificem exemptus ab obedientia sui superioris, eo ipso possit ducere uxorem; sed hoc non potest dici: ergo re. Sublato essentiali constitutivo alicujus status, eo ipso tolli talem statum; sed votum *solenne* obedientiæ est essentiali constitutum status Religiosi *solenniter professi*, prout nunc est ex constitutione Ecclesiæ; ergo sublato voto solenni obedientiæ in Petro, eo ipso tollitur in eo status Religiosi *solenniter professi*, consequenter Petrus non maneret amplius *Religiosus solenniter professus*; verum igitur est, quod Pontifex *Professum* possit facere *non professum*, tollendo solennitatem voti obedientiæ, sine qua non stat *solennis professio religiosa nunc.*

Ex hoc autem non rectè inferitur ea sequela. Nam 1. si Pontifex cum Religioso *castitatem solenniter professam* dispensaret ex justa causa ad incundum matrimonium, talis dispensatus non teneretur servare paupertatem, & obedientiam prius solenniter professam; quia sublata solennitate unius voti, quod est de substantia status Religiosi solenniter professi, tollitur talis status, consequenter obligatio ex vi status Religiosi solenniter professi. 2. aliud est, tollere *effectum solennitatis*, aliud *effectum voti*, cui ex dispositione Ecclesiæ annexa est solennitas; nullibi dico, *sublato effectu solennitatis*, tolli etiam *effectum voti*, cum hæc sint separabilia; ergo stare potest, quod sublata solennitate voti obedientiæ solenniter professæ, tollatur etiam solennitas voti paupertatis, & castitatis (sic enim tollitur ipsa *solennis professio*, quæ petit *omnia tria vota solennis*) quin tollatur *effectus voti paupertatis, & castitatis in vi voti*; quo casu talis, *non amplius professus*, non eo ipso poterit ducere uxorem licite, quia votum castitatis in ratione voti (sublata solâ solennitate professionis) non est sublatum, licet tunc non amplius sit *solenne*, sed *simplex*: et votum castitatis simplex, (extra Societatem JESU,) reddit illicitum, sed non invalidum matrimonium.

Nec ex eo, quod Pontifex aliquando dispenset, ut minister, in Sacramento confirmationis, sit simplex Sacerdos, inferri

ferri potest, eum directè dispensare in jure divino. Nam, ut Minister Ordinarius illius Sacramenti sit Episcopus, est juris divini; non autem, ut in omni casu. Hinc vi divine institutionis, absolute quilibet simplex Sacerdos potest esse Minister confirmationis, & ordinis, ut docet Suarez l. 10. c. 6. n. 26. & tom. 3. de Euchar. d. 36. sect. 2. apud Castropal. cit. num. 6. & ob-
je. 3.

Denique si quis teneat sententiam, quam probabilem censet Castropalaus cit. quod autoritate summi Pontificis offerri possit Sacrificium in una tantum specie pro casu gravi, & urgenti, non dispensaret in jure divino. Nam in hac sententia, etsi sit juris divini, Sacrificium offerri; at esse juris divini, offerri sub utraque specie, negatur; ita Suarez cit. l. 10. c. 6. ubi tamen citati Authores volunt, Pontificem potius declarare jus naturale, quod præcipit, cum sacrificatur, integrum Sacrificium offerri; & hoc non extendi posse, vel ad inferiores, vel indefinitè ad omnes leges.

Ceterum probabilius videtur, Pontificem nunquam in hoc dispensasse; cum de tali facto non constet authenticè; imò nec posse. Nam Sacrificium petit expressam significationem mortis Christi, quam à Sacrificio non potest separare summus Pontifex; sed fieret, si posset dispensare, ut in una tantum specie offerretur Sacrificium; sic enim non satis expressè significaretur separatio sanguinis à corpore; ergo. Materiam patet; quia non apparet, cur potius possit dispensare in hoc jure, quam in sigillo confessionis, materia baptismi, matrimonio consummato, &c. ita Castropal. cit. p. 3. in fin. Not. autem; etsi concedatur summum Pontificem posse in aliquo casu declarare jus naturale, ac divinum; ad tamen non concedi Prælati inferioribus; tum quia est res gravissima; & satis dubia; tum quia causæ graviore reservate sunt soli summo Pontifici: tum quia isti non æque habent infallibilitatem; ac ille.

§. III.

An, & qualiter Legislator dispensare possit in legibus à se conditis?

Communis tenet, Legislatorem posse

dispensare in legibus à se liberè conditis, exceptis casibus, de quibus iustè; cum vis ejusmodi legis positivæ pendeat à voluntate Legislatoris. Idem dicendum est de ejus successore in jurisdictione (hic enim reputatur eadem persona cum illo) & de legitimo superiore Legislatoris, cum in eo à fortiori sit ea jurisdicção; ita Salas de legibus d. 20. sect. 3. n. 16. Vasquez de legibus num. 178. & alij. Ex hac regula sequitur summum Pontificem posse dispensare. 1. in legibus à se latis, cum ipse sit earum Author, & à nullo; extra Deum, in usu suæ potestatis Legislativæ restringi possit. 2. in legibus conditis à C. C. etiam Generalibus; cum Pontifex sit illis superior, imò sine approbatione illius, vim non habeant eorum decretæ. 3. in constitutionibus, & legibus conditis à suis Antecessoribus; cum sit eorum Successor in jurisdictione cum æquali potestate ordinaria. 4. in legibus conditis autoritate Apostolorum merè humanâ. Nam summus Pontifex, qui est legitimus Petri Successor, est paritum eo, & alijs Apostolis jurisdictionis; esto ille in dignitate Apostolica sit istis inferior; ita Suarez l. 10. de legibus. c. 14. Salas cit. d. 20. sect. 3. n. 16. & alij. 5. in legibus Prælatorum Ecclesiasticorum inferiorum. Nam ipse est omnium legitimus superior.

Sequitur. 2. Archiepiscopum, vel Episcopum, posse dispensare in lege Synodali, suæ diocesis (nam istæ sunt leges ab ipsis conditæ) non autem alios; ipsis inferiores. Nam reliqui, qui intersunt tali Synodo, ut Parochi, Decani, &c. non sunt conditores earum legum; sed solum Assessores, vel consiliarij; sic Azor p. 1. l. 4. c. 15. q. 3. Sanchez l. 8. matr. d. 17. n. 33. & alij.

Sequitur. 3. Episcopum non posse dispensare in legibus Concilij provincialis, nisi eo modo, quo potest in Papalibus. Nam Concilium Provinciale in jurisdictione est illo superius. 1. ex tota dist. 18. item ex c. Salvo. 9. q. 3. & c. Grave nimis, de præbend. 2. quia potest condere leges, quarum observantiam Episcopus & in se, & in suis subditis tenetur procurare, juxta c. sicut olim. 25. de Accusat. & Trid. sess. 24. c. 2. imò jure antiquo causæ Episcoporum, cognoscebantur, & terminabantur à C. C. Province. usque ad sententiam definitivam

vam; hæc autem omnia probant Episcopum inferiorem esse tali Concilio: ergo.

2032. Sequitur. 4. idem dicendum de Archiepiscopo quoad leges conditas à C. C. Provinc. 1. Nam hoc est illo superius saltem in hoc puncto; cum ab Archiepiscopo ad C. C. Provinciale detur appellatio, tanquam ab inferiore ad superiorem, ut tradit gloss. fin. in *c. à collatione, de appellatione in 6. Navar. const. 6. de majorit. & obed. in novis, n. 6.* & alij. Deinde, quia, licet Metropolitanus habeat potestatem supra alios Episcopos, ut possit eos convocare ad concilium, juxta Trident. cit. & quoad hoc, uti & locum sedendi, sit *caput* illius; non est tamen *caput*, quoad jurisdictionem, & vim legislativam privativè; cum in hoc etiam Episcopi suffraganei habeant votum decisivum, ex *c. sicut olim*, de accusat. ergo leges illæ non sunt ejus solius; sed, *rotius Concilij*, quod quoad hoc est illo superius; licet non quoad reliqua omnia v. g. ad cognoscendum de delictis ejus, ut dicitur in *c. Grave, de præbend.* ita Suarez l. 6. de Legib. c. 15. à n. 5. Sanchez l. 8. matr. d. 17. à n. 36. Navar. cit. à n. 5. & plures alij.

2033. Not. autem Regulam in n. 2030. traditam, limitari. 1. ut non procedat, si lex condita ab aliquo Legislatore, confirmata est ab ejus superiore, confirmatione non communi, sed speciali, quæ illi suam auctoritatem tribuit. Tunc enim sine consensu dispensari non potest ab eo, qui condidit; cum nihil possit contra superioris auctoritatem; sic Azor cit. q. 7. Limitatur. 2. ut non procedat, si Legislator condidit legem in commodum subditorum sub aliqua conditione, se obligans eâ præstitâ non soluturum se legem. Nam tunc ex vi contractûs, qui naturaliter obligat, non possit in lege à se condita dispensare; sic Salas cit. d. 20. sect. 4. n. 21. & alij. Limitatur. 3. ut non procedat, si Legislator firmavit juramento legem à se conditam; nam eo casu non possit saltem licitè dispensare in lege, *stante juramento*; secus, si vel secum dispensaret prius in eo juramento, vel dispensaretur ab alio; sic Sanchez cit. l. 8. d. 17. n. 31. Salas cit. sect. 4. num. 42. & alij.

§. IV.

An in lege superioris validè dispenset inferior?

Ante resolut. not. 1. quasdam esse leges, quarum dispensationem Legislator sibi sibi reservat expressè; quasdam, quas non. Not. 2. quætionem esse, an inferior sit possit *jure ordinario*, nimirum potestate ipsi competente vi officij, & semper? v. g. an Episcopus, vi potestatis Episcopalis dispensare possit in lege summi Pontificis? Duplex est sententia. 1. tenet, posse inferiorem dispensare in lege superioris *non reservatâ*, quoties ei non est interdictum; sic D. Antoninus, p. 1. tit. 17. q. 30. Soto in 4. dist. 27. q. 1. a. 4. & plures alij apud Barbofam, de potest. Episc. p. 2. allegat. 33. n. 17.

Probabilius est, id non posse inferiorem, nisi *expressè* vel *tacitè* illi concessum sit à superiore; ita Suarez l. 6. de legib. c. 14. n. 4. Sanchez l. 8. matr. d. 5. n. 5. Barbof. cit. n. 18. & complures alij. *ex c. cum inferior 16. de majorit. & obedientiâ: cum inferior superiorem solvere nequit, vel ligare; & Clementinâ: ne Romani de Elect.* ibi: *Nos inter cetera præcipuè attendentes, quod lex superioris, per inferiorem non possit tolli, & infra: modificari, corrigi, immutari, vel quicquam detrahi, addi, dispensari, etiam in parte, aut renuntiari.* Secundo: quia tota vis legis pendet à voluntate legitimi superioris intendentis obligare sibi subditos, non revocatâ per potestatem legitimam revocandi voluntatem superioris, nisi ei *expressè*, vel *tacitè* concessum sit; alias enim voluntas superioris esset inferiori subiecta, sine suo, aut alterius id potentis consensu; ergo. Min. ex eo probatur, quia per hoc quod alicui aliquid non sit *expressè* interdictum, non propterea est *tacitè* concessum; cum satis sit, esse *generaliter* interdictum, ubi deficit concessio *expressa*, vel *tacita*; at dispensationem in lege superioris ab inferiore fieri sine concessione *expressâ*, vel *tacitâ*, generaliter esse interdictum, constat ex *c. cum inferior*, & Clem. *ne Romani*. ergo.

Nec rationes contrariæ evincunt, inferiorem dispensare posse in superioris lege, ubi ei non est *expressè* interdictum. Nam.

1. id sic universaliter non exigit ratio gubernandi suos, si recurrendum foret in quolibet occurrenti casu ad superiorem. Hinc enim satis consultum est, quod in certis casibus potestas dispensandi commissa sit inferioribus, de quibus dicam infra. Secundò quia, cum superior sibi aliquam legis dispensationem reservat, non fit eà mente, ut, ubi reservatio non apponitur, dispensandi facultas concessa intelligatur; sed *ut talis potestas non intelligatur concessa sub concessione generali*. Et quamvis in *c. nuper. de sent. excommunic.* dicatur: *ubi excommunicatio non reservatur, censendum esse, illius absolvende potestatem commissam inferioribus*; hæc tamen regula non traditur ibi indefinitè; sed in certa solum materia, per quam restringitur, & limitatur. Hujus ratio est, quia ibi est sermo de *absolutione emendati à censura*, quæ absolutio non est *contra jus*, sicut dispensatio; sed potius *juxta jus* præcipiens, absolvi rectè dispositum. 2. quia talis absolutio à censuris ordinatur in bonum animæ; quam utique, ut conformem juri expediebat concedi facilius, quam dispensationem, quæ jus vulneratur.

2037. Dices: Experienciâ certum est, Episcopos dispensare in multis legibus Ecclesiasticis à Pontifice latis pro tota Ecclesia, v. g. in jejuniis, festorum observatione, in votis, & juramentis &c. ergo non est ratio, cur id non possint in qualibet lege Ecclesiastica non expressè reservata. Nam Episcopus in sua Diocesi potest, quidquid Pontifex in tota Ecclesia, nisi à Pontifice prohibeatur; cum suæ diocesis non minus sit Pastor ordinarius, quam Summus Pontifex totius Ecclesiæ. 32. 1. transf. ant. N. conseq. Nam pro illis saltem aderit tacita concessio, ut mox dicemus; non tamen pro omnibus. Ad prob. 32. jam constare ex n. 2025. quod Episcopis generaliter prohibitum sit *indefinitè*, & in *qualibet* lege superioris dispensare; & Episcopos etiam pro sua diocesi non esse vocatos in plenitudinem potestatis, sed solum in partem sollicitudinis secundum dicta supra. Et ideo *negandum* est, Episcopum in sua diocesi posse, quidquid Pontifex in tota Ecclesia; quis enim concedit Episcopo, quod pro Sacramento conferendæ confirmationis, vel ordi-

nis, possit constituere Sacerdotem simplicem, dispensare in matrimonio rato? canonizare? instituire censuras? &c. quæ tamen posse Summum Pontificem, concedunt alij, ut constat ex dictis in superioribus. Neque dicas, hæc Episcopis esse prohibita. Nam ubi circa leges singulas est prohibitio *specialis*; ergo sufficit *generalis*; at hæc datur, ut eo ipso Episcopis censeatur negata potestas dispensandi in lege superioris, quoties non habetur, quod sit concessa, ut constat ex n. 2035. & constat etiam ex *c. quod super his. 9. de Majorit.* ibi: *in ipsa synodo non ducas aliquid statuendum, quod canonicis obvies institutis.*

32. 2. me non negare, Episcopos posse 2038. in legibus superioris dispensare, pro quibus habent eam potestatem vel expressè, vel tacitè concessam ab illo. Censeatur autem habere tacitè concessam. 1. si jam sit consuetudo legitime inducta, vel præscripta, quod in tali lege dispensent. Tunc enim in superiori adest consensus saltem legalis. 2. Si generaliter concedatur potestas dispensandi pro certis casibus, licet aliàs sint reservati superiori v. g. *si sint occulti, nec ad forum contentiosum deducti*, ut ut habetur in *Trid. sess. 24. c. 6. de irregularitatibus* provenientibus ex delicto occulto, cum limitatione ibi posita 3. Si concedatur verbis aliquâ ratione ambiguis, ut si Legislator in lege sua dicat *impersonaliter, dispensari posse*. Cum enim tunc Legislator non loquatur de se (de ipso enim potestate non ambigitur) videtur loqui de alio, nimirum Prælate inferiore, cui subsit dispensandus in ea lege; ita *Sanch. cit. l. 8. d. 5. n. 1. Suar. cit. c. 14. n. 8. & alij complures.*

Et not. hoc procedere non tantum in legibus Pontificiis, ut vult Barbofa p. 2. de potest. Episc. allegat. 83. à n. 23. sed etiam Conciliaribus. Nam si in lege Conciliaribus dicatur *impersonaliter, dispensari posse*; ex his ipsis verbis habetur, *permitteri dispensationem*; non Legislatori (hic enim tali permissione non indiget) ergo alteri, nimirum inferiori; sic Covarr. c. Alma. p. 1. q. 7. n. 8. Sanchez cit. n. 5. &c. Ea tamen doctrina, quæ habetur n. 2038. intelligenda venit, ut censeatur tacitè concessa potestas dispensandi in ea lege, *in quantum obligat alios*; non autem in quantum ligat *ipsum*, qui dispensaturus est;

est; ne scilicet ipse in proprio facto, & in proprium commodum dispense; ita Sanchez *cit. n. 3.*

2040. 4. Quoties materia legis à superiori condita est aut sub culpa solum levi, aut etiam sub nullo peccato (prout est in multis Religionibus) censetur superior tacite concedere superioribus inferioribus potestatem in illis dispensandi; cujus ratio est, quia merito præsumitur talis Legislatores (præsertim, cum noluit ullo modo in conscientia obligare) non velle peculiarem in his ad se recursum; sed prudenti iudicio inferiorum Præsidi committitur, ut pro rei exigentia, & subditorum bono dispensare possint, cum æquum videbitur; ita Sanchez *cit. l. 6. c. 14. n. 9. Salas d. 20. sect. 3. n. 22.* Ad id, quod in n. 2037. dicitur de votis, & juramentis, jam responsum est superius, in eo casu non fieri *directè* dispensationem in jure divino (hoc enim exigeret, ut stante voto quis non obligaretur ad præstandum promissum) sed solum *indirectè*, tollendo vel materiam voti, vel ipsius juris divini, nimirum ipsum votum, ut ibidem dictum est.

2041. Quæres, quâ ratione rectè intelligenda sit satis communis doctrina, *Episcopum posse dispensare in omnibus sibi non prohibitis?* R. eam doctrinam rectè intelligi, si accipiatur cum addito: *in omnibus sibi non prohibitis, & saltem tacite concessis.* Nam, ut diximus supra n. 2035. omnis dispensatio in lege superioris inferiori prohibita est, quæ illi nec expressè, nec tacite concessa est. Ex hoc autem sequitur, vi hujus doctrinæ sic admittæ Episcopum posse dispensare in lege superioris v. g. Papali. 1. quoties illi generaliter conceditur facultatem dispensandi in tali lege v. g. tertio, & quarto gradu consanguinitatis &c. secundo quoties eadem potestas censetur tacite concessa; vel impersonaliter, vel in legibus non graviter obligantibus; aut consuetudine legitima, vel præscriptione acquisita ex dictis à n. 2038. vel etiam in casibus valde frequentibus; nam in his merito præsumitur consentire superior, ne inferiori Prælati nimis onerosa sit gubernatio suorum, ut inferior dispense. Tales casus sunt ratio jejuniarum, festorum, votorum non specialiter reservatorum; ita Sanchez, & alij supra *cit.*

Nota autem 1. hanc potestatem, quam inferiores Prælati habent ex generali, vel tacita concessione superioris Ecclesiastici in hujus legibus dispensandi, reputari potestatem *ordinariam* potius, quam delegatam; quia conceditur inferiori ratione muneris, & est perpetua. Nam ex his capitibus potestas aliqua dicitur *ordinaria*, ut tradit glossa in *c. fin. de offic. ordinari.* Suarez *l. 6. c. 15. n. 1.* Sanchez *l. 2. de matr. d. 40. n. 14.*

Quæres, an saltem in dubio, vel in casu urgentis necessitatis inferior dispensare possit in lege superioris; R. primam quæstionem procedere, quando est *dubium*, an casus propositus indigeat dispensatione? quo casu dicendum, quando dubium est *positivum* nimirum pro utraque, vel pro illa parte, quæ negat, *casum indigere dispensatione*, sunt rationes graves, quæ non obstante ratione in contrarium, manente intra limites incertitudinis moralis, adhuc manent prudenter eligibiles dispensandum sic dubium, ad licitè operandum, non egere dispensatione. Nam sic nulli se morali periculo exponit, sequens opinionem probabilem; ita Bonacina *d. 1. q. 2. p. 1. n. 18.* Barbosa *cit. allegat. 35. n. 18.* Castropalaus *p. 1. tr. 3. p. 5. n. 10.* dicendum. 2. si æquè dubium sit, *casum indigere, ac non indigere dispensatione*; dispensandum licitè agere sequendo sententiam dicentem in tali casu, *neminem tenere lege.* Rationem dat Castropalaus *cit.* quia *nemo censeri debet lege obstrictus, quousque ipsi de lege certò moraliter constet.* Nam tali casu possidet voluntas immunitatem ab obligatione legis; hæc enim, quamdiu saltem morali certitudine de ipsius existentia non constat, jus obligandi possidere contra libertatem non potest. Prius enim est *esse legem, quam ligare, & ligari lege.*

Dicendum. 3. si dispensandus in dato casu adhuc putaret, sibi necessariam esse dispensationem, sufficere Episcopalem. Nam potestas dispensandi (utpote res omnino favorabilis ei, cui conceditur) est amplè interpretanda; maxime cum merito præsumi possit, superiores non reservare *casum dubium, sed certum.* Reservatio enim odiosa est; sic etiam Salas *cit. 8. 3. n. 28.* Suarez *100.*

Tom. 2. de Relig. l. 6. c. 26. n. 6. Sanchez l. 4. decalog. c. 40. n. 26. loquentes de voto reservato.

2044. Altera quaestio est, an Episcopus dispensare possit in lege Ecclesiastica, quando *urgens necessitas* dispensationem in tali casu exigit? Hæc *urgens necessitas* evenire potest aliquando in casu, quo est periculum in mora, & superior adiri non potest, & nisi hinc & nunc Episcopus dispensaret in impedimento, v. g. gravia scandala, infamia, vel dissidia nascerentur. Affirmativam meritò sequitur P. Sanchez l. 2. matr. d. 40. n. 3. & l. 8. d. 6. n. 20. Suarez cit. l. 6. c. 14. & alij quia tunc adest Ecclesiastici superioris tacita concessio, ex præsumpta Legislatoris voluntate. Nam in tali necessitate urgenti, ubi ad superiorem non est recursus, vel periculum est in mora, negare inferiori hanc facultatem, videtur repugnare Regimini benignæ matris Ecclesiæ; quæ filios ita vult ligari suis legibus, ut hoc ipsum illis sit in ædificationem, non in ruinam. Hoc enim, tali casu, exigit bonum commune.

2045. Et hoc docet Castropalaus cit. p. 1. tr. p. d. 6. p. 5. n. 7. rectè procedere, sive lex sit de matrimonio impediendo, vel de aliqua irregularitate, aut voti, aut similibus reservatione. Existimo tamen hoc solum intelligendum de casu, quo alias ipse Pontifex ex iustis causis in tali lege Ecclesiastica dispensationem indulgere solet; sic Barbof. p. 2. de offic. & prest. Episc. allegat. 35. n. 3. Et licet etiam hæc potestas dici possit *ordinaria*; redius tamen dicitur *ordinaria* cum addito *pro casu extraordinario*.

ARTICULUS II.

Quis possit dispensare in impedimentis matrimonium dirimentibus?

2046. Ante resolut. not. ex his impedimentis esse quædam juris naturalis (ut impedimentum impotentia) quædam juris divini positivi (ut impedimentum ligaminis) quædam juris tantum Ecclesiastici, ut voti ratione solennitatis, affinitatis &c. In impedimenta juris naturalis nullam cadere dispensationem, constat ex dictis à n. 2015. in impedimenta ju-

Tom. IV.

ris positivi divini, solum pro ijs casibus, pro quibus Deus Ecclesiæ contulit hanc potestatem, ut diximus à n. 2021. superest quaestio de impedimentis juris tantum Ecclesiastici. Et de his etiam constat, jure ordinario Prælatos summo Pontifice inferiores non posse dispensare, nisi quatenus illis expressè, vel tacitè concessum est à superiore, ut ostensum est à n. 2035. his præmissis.

§. I.

In quibus impedimentis dirimentibus Episcopi dispensare possunt?

Not. quædam esse impedimenta, quæ, ut tollantur, non egent dispensatione, sed aufferri possunt ab ipsismet sponis. Sic, qui contraxit invalide propter errorem in persona, vel ignorantiam conditionis servilis, si vult, potest licitè, & validè verum consensum in eam personam præstare errore, vel conditione cognitâ; similiter, si infidelis propter cultus disparitatem nulliter contraxit, potest susceptâ verâ fide, revalidare matrimonium; igitur de his in præsens non agimus. Not. 2. quædam esse impedimenta juris tantum Ecclesiastici, in quibus, allatis ab oratoribus, seu supplicantibus, iustis precibus, seu causis, de quibus infra, Pontifex *communitè dispensare solet*; qualia sunt, cognatio sive spiritualis, sive carnalis; affinitas, votum, crimen, & publica honestas, ut testatur Pyrrhus Corradus *in praxi dispens. Apostol. l. 7. c. 1. n. 5.* quædam autem, in quibus non, nisi in casu valde raro ex causis gravissimis, aut cum certis tantum personis, ut patebit ex seq.

Quæres. 1. an Episcopus (idem est de alijs, qui gaudent jurisdictione quasi Episcopali) dispensare possit cum his, qui contraxerunt nulliter propter impedimentum dirimens juris tantum Ecclesiastici? ut matrimonium suum ratificent? R. posse in casu *urgentis necessitatis*, ut dictum est n. 2044. quando bonâ fide contraxerunt. Nam pro tali casu censetur adeste tacita concessio superioris; ita Sanchez cit. l. 2. matr. d. 40. n. 3. Pontius l. 8. matr. c. 13. n. 3. & complures alij præsertim cum non ignoretur à Pontifice, hanc potesta-

Rrr 2

potesta-

potestatem in eiusmodi casibus ab Episcopis usurpari.

Ut autem id exigere censetur *urgens necessitas*, not. requiri 1. causam gravem, qualis est, si conjuges absque gravi inconvenienti separari non possint, ut est periculum infamiae, incontinentiae, malae educationis prolium susceptarum, periculum miseræ fortis, aut statûs in alterutro. &c. deinde, quod non possint aliunde habere facile dispensationem, ut cum ob inopiam non possunt vel per se, vel alios accedere Pontificem, vel alium privilegiatum; vel cum est periculum in mora. Tertio ut impedimentum sit secretum, seu occultum; si enim esset publicum, non urgeret necessitas, ut ei Episcopus extraordinario dispensationis remedio succurrat. Tunc autem impedimentum censetur occultum, ut docet Sanchez d. 40. n. 11. & ex eo Barbosa cit. n. 11. quando non constat publicè, nec facile constare potest, periculumque non est, ut in foro externo detegatur.

2049. Not. autem, quando conjuges putativi, qui dispensandi sunt, ob paupertatem suam, difficilem habent recursum ad eundem superiorem, qui jure ordinario dispensare potest, recursum non desicere ab ea difficultate, quod Episcopus possit, aut (ut aliqui volunt) teneatur illis pecuniam in eas expensas necessariam concedere. Nam ad hoc Episcopus nullo jure tenetur, ut ostendit Castropalaus cit. l. 1. d. 6. p. 5. n. 6. Not. 2. ut dicatur quis contraxisse *bonâ fide*, requiri, quod quis contraxerit *non habens scientiam* impedimenti; quia tamen est quis possessor bonæ fidei, quamdiu se alienum possidere ignorat. c. si virgo 34. q. 1. de quo plura dixi in tract. Theolog. de jure & just. à n. 207.

2050. Quæres 2. an, ut Episcopus in dato casu licitè dispense, necesse sit, *utrumque* contraxisse bonâ fide? affirmativam sequitur Garcia de benefic. p. 11. c. 5. n. 357. sed rectius docet Sanchez cit. n. 4. sufficere *bonam fidem unius*. 1. quia stante bonâ fide unius, censetur matrimonium bonâ fide contractum. arg. c. cum inhibitis. de clandestinitate despons. & c. Ex tenore, qui filij sint legitimi. 2. quia malitia unius non debet obesse alteri; & benignæ matris est, ob innocentem, etiam nocenti, indulgere. Si

autem ambo malâ fide contraxerunt, vel temerè, & malitiosè omittis denuntiacionibus, non potest Episcopus dispensare; quia digni non sunt Ecclesiæ benignitatem experiri; cujus salubria præcepta contempserunt; Sic Castropalaus de sponsal. d. 4. p. ult. q. 1. n. 8. Barbosa p. 2. de offic. & potestate Episcop. alleg. 35. n. 4.

Quæres 3. an eadem potestate gaudeat Episcopus, ut in casu urgentis necessitatis dispense in impedimento ad matrimonium *contrahendum*? Videtur negare Pirhing h. 1. n. 70. sed probabilius affirmatur. ex c. 2. de despons. impub. ubi cavetur, ne aliqui ante ætatem canonicis præscriptam conjugantur, nisi forte *aliquâ urgentissimâ necessitate interveniente*; at eadem necessitas esse potest ante, ac post matrimonium contractum v. g. infamiae, si non contraherent; in Sanchez l. 7. d. 40. & plures alij, quos citat, & sequitur Castropalaus cit. n. 9. Barbosa cit. n. 5.

Quæres 4. an Episcopus cum his, qui subreptitiâ dispensatione, super aliquo impedimento obtentâ, matrimonium mulieriter contraxerunt, possit in eo dispensare, Pontificis dispensationem confirmando? affirmativam sequitur Badius Ponc. l. 8. c. 13. sed probabilius negat Castropalaus cit. n. 11. quia in c. quia circa, de consang. Pontifex in dato casu concedit Episcopo solum facultatem eos *permitteri* in bonâ fide, propter grave scandalum, quod ex eorum separatione immineret; quin ibid. meminerit *ullius dispensationis*. Et ideo in dato casu non Episcopus, sed Papa dispensavit, ut notat Barbosa in cit. c. n. 5. Hinc not. cum in c. cum jam dudum de prebend. dicitur, Principis dissimulatione, & tolerantia non induci dispensationem, seu consensum; & actûs validitatem, responderi, verum esse, si Princeps actum toleret, solâ impunitate, & factò, secus si respondeat, *se illum tolerare*; sic Barbosa cit. à n. 3.

Quæres 3. an Episcopus possit dispensare in matrimonio contracto à viro cum Berta, si is prius carnaliter cognovit Cajam, Bertæ Consanguineam; sed dum contraheret cum Berta, ignoravit Cajam fuisse Bertæ consanguineam.

am intra secundum gradum. R. probabili-
ter affirmari, si impedimentum sit oc-
cultum, ex separatione sequeretur grave
scandalum, & matrimonium sit publicè
contractum saltem unius bonà fide, atque
desit alius habens facultatem dispensandi.
Videtur sequi ex dictis; cum revera tunc
aditurgens necessitas. Et tenet Henri-
quez, & alij apud Barbosa *de offic. & potest.*
Episc. p. 2. alleg. 35. n. 4.

2054. Quares. 6. an Episcopus dispensare pos-
sit cum illa, quæ manè accedit ad confi-
tendum, & invenitur habere impedimen-
tum dirimens; R. posse in foro conscien-
tiæ, si ejus manifestatio esset illi causa gra-
vis infamiae, & jam omnia parata forent
pro nuptijs illo manè, vel vespere, cele-
brandis, nec esset alia via evadendi infamiam,
vel suspensionem delicti in confes-
sione manifestati, nisi tunc nuptiæ cele-
brentur; qua sic adesset urgentissima nec-
essitas; ita Sanchez *d. 40. l. 2. n. 7.* Bar-
bosa *cit. n. 5.* sed not. Episcopum in præ-
dictis casibus pro solo foro interno posse dis-
pensare; sic Barbosa *cit. n. 11.*

2055. Quares. 7. an Episcopus facultatem dis-
pensandi in prædictis casibus possit alteri
delegare? R. posse in ijs casibus, in quibus
ipse potest dispensare. Nam jurisdictio
ex Principis privilegio competens non per-
sonæ, sed perpetuò ipsi dignitati, vel offi-
cio, non est delegata, sed *ordinaria.* sic
Covar. *Variarum l. 3. c. 20. n. 6. & 9.* po-
testas autem ordinaria delegari potest. *c.*
su. de offic. ord. at illa potestas Episcopi in
datis casibus ei competit vi dignitatis; non
autem ratione personæ; sic Castropalaus
cit. n. 13. cum concedatur omnibus Epi-
scopis etiam futuris; ergo est ordinaria,
quamvis ei competat jure solum extraor-
dinario, nimirum solius urgentis neces-
sitatis.

2056. Quares. 8. an Vicarius Episcopi gene-
ralis gaudet eà facultate dispensandi? R.
cum vi Vicariatus non gaudere, tamen in
eius facultate expressum sit, ut possit di-
pensare in casibus Episcopalibus etiam
matrimonialibus; quia casus, quorum di-
pensandi facultas non competit Episcopo,
nisi in casu urgentis necessitatis, non cen-
sentur Episcopales: & ideo ea potestas E-
piscopo non competit nisi jure extraordi-
nario, quam non habet Vicarius vi Vica-
riatus; ita Sanchez *l. 2. dist. 40. num. 9.*

dixi, vi Vicariatus; secus est, vi *specia-*
lis delegationis.

Quares. 9. an Episcopus extra casum
dictæ necessitatis jure ordinario in qui-
busvis impedimentis dirimentibus jure so-
lum Ecclesiastico dispensare possit? R. So-
tum in 4. *dist. 42. q. 1. a. 1.* docere. 1. quòd
possit dispensare jure ordinario in impedi-
mento cognationis ortæ ex baptismo tem-
pore necessitatis collato. 2. in impedi-
mento cognationis legalis. 3. publicæ honesta-
tis, ubi non est expeditissimus accessus ad
summum Pontificem; idem tenentibus
Ludov. Lopez. *p. 2. instr. c. 51.* & Ema-
nuel Sa. V. *matrimonium de impedim. n. 6.*
Verum omnino negandum est; cum hoc
in nullo jure fundetur, nec de ulla etiam
concessione tacita constet; ita Sanchez
cit. d. 6. n. 17. Gutierrez *iv. de matr. c. 22.*
n. 4.

Quares. 10. an Legatus summi Ponti-
ficis jure ordinario possit dispensare in
impedimentis matrimonium jure solum
Ecclesiastico dirimentibus? R. quòd non,
nisi prout potest Episcopus. Quia repu-
tatur ordinarius suæ Provincie. *c. 1. de of-*
fic. Legat. in 6. Unde Legatus à latere non
habet ampliorem facultatem in provincia
sibi commissa, quam Episcopus in sua di-
cecesi gl. *c. quia circa. v. à sede. c. quòd di-*
lectio. v. Indulgentiam, de Consang. & In-
nocent. in c. Ex parte, de Transact. dixi,
jure ordinario; nam secus est ex delega-
tione; sed Episcopus id non habet sic in-
definitè jure ordinario sed extraordinario;
ergo.

§. II.

An Episcopus possit dispensare in impedi-
mentis matrimonio superveniens?

Cum impedimentum dirimens, matri-
monio prius rite contracto superveniens,
illud non dirimat (nisi solenne votum ca-
stitatis emissum in professione Religiosa
superveniat matrimonio rato tantum, ut
constat ex dictis) sed solum petitionem de-
biti conjugalis impediatur; quæstio est, an
in illis quoad hunc effectum Episcopus di-
pensare possit? Nam licet cognatio v. g.
spiritualis, superveniens matrimonio, le-
gitimè contracto, istud non solvat, con-
juges tamen impedit à petendo debito, seu
quò minus licitè usum conjugalem exi-
gant, si malitiosè, vel citra casum neces-
sitatis

fitatis eam contraxerunt gl. in c. *Nosse desideras*. 30. q. 1.

2060. Negativam sequitur Covarr. in 4. decret. p. 2. c. 7. q. 2. n. 6. Graffis. p. 1. decis. l. 2. c. 81. n. 3. & alij; R. tamen Episcopum in dato casu posse dispensare; sic Barbosa cit. n. 9. extendens etiam ad casum, quo petere debitum prohiberentur propter supervenientem affinitatem ex illicita copula cum consanguineo alterius conjugis; quod Castropalaus d. 4. de sponsal. p. 2. q. 1. approbat. & n. 17. extendit etiam ad casum, quo quis emissio prius absoluto voto castitatis matrimonium contraxisset. Rationem sumit ex consuetudine, quâ communiter utuntur in his casibus Episcopi. Eandem facultatem habent Confessarij Societatis (quibus ea à P. P. Provincialibus communicata est) & reliqui mendicantes in privilegijs communicantes cum Societate; idque ex privilegio Pij. V. ut notat Castropalaus cit. n. 19. sed adverte privilegium loqui solum de casu matrimonij contracti cum voto castitatis, & supervenientis affinitatis; non autem cognationis spiritualis; ita Sanchez l. 8. matr. d. 16. n. 9.

§. III.

An Episcopus jure ordinario dispense in impedimentis tantum impedimentis?

2061. R. Episcopum omnino posse jure ordinario in illis dispensare in his, quæ sunt juris tantum Ecclesiastici. sic Barbosa. cit. n. 2. idque ex consuetudine jam recepta, quæ in his casibus Episcopo tribuit facultatem dispensandi quoad hos casus in lege superioris. Et. 1. circa ea, quæ sunt ex delicto, constat aliunde per dicta superius illa hodie non indigere dispensatione, cum non sint amplius in usu, quod etiam dicendum venit de impedimento ex Cathismo. Igitur de reliquis quatuor, quæ adhuc vigent, affirmativa Barbosa doctrina procedit, circa quam tamen limitatio facienda videtur. 1. quoad votum, ut non procedat in voto etiam simplici castitatis, & religionis, secundum quod specialiter summo Pontifici reservantur; nam in hoc non extat consuetudo; excipe tamen casum urgentis necessitatis, de quo à num. 2048. 2. quoad sponsalia de futuro, ubi non censetur Episcopus cum præjudi-

cio tertij dispensare, nisi exprimat, & causa id exigat.

ARTICULUS III.

De causis in genere, ob quas in impedimentis matrimonium dirimentibus dispensatio concedi possit?

Ante resolut. not. 1. quædam impedimenta juris tantum Ecclesiastici esse talia, ex sola Ecclesiæ constitutione v. g. cognationis, affinitatis, publicæ justitiæ, &c. quædam non nisi ex suppositione alterius obligationis, usui matrimonij contrarietatis, ut est votum Religionis, castitatis, cælibatus, &c. Not. 2. causam, quæ sufficit, ut quis dispense in uno impedimento, non esse sufficientem indefinite pro quolibet. Nam quod major, vel minor est propinquitas, vel ratio pro uno, quam altero casu statuti legem ex ea circumstantia dirimentem; hoc etiam major, vel minor causa requiritur ad impetrandam legitimè dispensationem, ut tenet communis. Not. 3. ad impetrandam dispensationem frequenter attendi ad qualitatem personæ. Nam cum Principe facilis dispensatur, quam cum nobili, vel plebeo, ut liquet ex Trid. sess. 24. c. 5. statuente, ut in secundo gradu consanguinitatis dispense solum cum magnis Principibus; idque propter speciales rationes, vel pacis, vel meritorum in Ecclesiâ, aut spem protectionis inter tot, qui Ecclesiâ Dei insectantur.

§. I.

An valeat dispensatio sine causa?

R. ut Legislator humanus valide dispense in lege propria, nullam requirit causam, nisi propriam ejus voluntatem. Nam lex constituitur voluntate Principis, & ex ea pendet, quoad vim obligandi; ergo cum Legislator voluntatem, quâ subditos obligari voluit, mutat, & retractat, uti potest ex mero arbitrio, & placito, cessabit obligatio; ita Suarez l. 6. de legib. c. 19. n. 6. Salas, eod. d. 20. S. 4. num. 37. Sanchez l. 8. matr. d. 17. num. 24. & alij. quod verum est, licet ea lex confirmata sit à superiore confirmatione mere approbationis, non autoritativa. Nam illa non addit fortius vinculum actui approbato. dixi valide. Nam licet non agit, quia sic non est dispensator prudens (quæ agit)

agere sine ratione) nec fidelis, quia sic non videtur convenire potestate sibi concessa, ut constat ex Trid. sess. 24. c. 5. ibi: *vel nulla deur dispensatio, vel raro, idque ex causa;* & sess. 25. c. 14. iterum causa requiritur; & c. 18. ubi dicitur, *cum aliquibus dispensandum cum summa maturitate, & causa cognita, ubi urgens, iustaque ratio, majorque, quandoque expostular.* sic Pyrrhus Corradus cit. l. 1. c. 1. n. 6. & alij communiter.

2064. Suarez cit. c. 18. n. 17. & complures alij docent, *dispensare sine justa causa esse peccatum grave.* Nam hoc nihil aliud est, quam unicuique portam aperire ad transgressionem legis, ut ait Trident. cit. c. 18. quis enim non videt, sic occasionem dari, & sumi, minoris observantiae? Alij tamen (ut Sanchez cit. n. 7. Salas cit. sect. 5. n. 55. Castropalaus p. 1. tr. 3. d. 6. p. 8. q. n. 5.) venius censet, *ex genere suo esse tantum veniale, licet grave sit in casu, quo fieret sine causa cum scandalo, & eo damno à dispensante praevisto, quod non adeo frequens est; quia ex se talis actus, quo pars non conformatur toti in aliqua lege; secluso alio scandalo, & damno, res non est graviter contraria rectae rationi.*

2065. Dixi. 2. ut Legislatur *humani* valide dispenset in lege sua, non requiri causam. 1. quia quilibet dispensatio sine causa in lege naturali, vel divina invalida est; quia etiam Deus summo Pontifici pro quibusdam casibus commiserit potestatem dispensandi nomine suo, non commisit illi tamen facultatem eam utendi *ex libitu*, sed iusta causa intercedente, ut agat tanquam dispensator prudens, & fidelis in iure eius, cuius ei curam dedit. sic D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. Gloss. in c. *Non est, V. adimplere, de voto.* & alij plurimi. Idem est de dispensatione inferioris in lege superioris, ut docet Sanchez cit. d. 17. n. 4. cum plurimis ibid. relatis. Nullus enim superior censetur inferiori concedere potestatem relaxandi legem à se mature conditam, nisi occurrat causa rationabilis, & sufficiens, ne potestas commissa irrationabiliter usurpetur. Et hoc procedit, esto inferiori committeretur facultas dispensandi cum plenitudine potestatis. Nam esto superior humanus id absolute possit, ut tenet Salas cit. d. 40. sect. 4. n. 32. non est tamen unquam praesumendum; ita

Sanchez cit. d. 17. n. 5. quia semper praesumi debet de superiore tali, quod commissionem suae potestatis faciat, pro casu rationabili, & in adificationem.

Nec juvat dicere, quod etiam Legislatori humano sic à Deo concessum sit, ut potestate condendi, ac relaxandi utatur solum ex causa rationabili; responderetur enim, id verum esse, quando agitur de potestate homini à Deo commissa, *ut Dei nomine dispenset in lege Dei;* non autem, *ut homo suo nomine dispenset in lege humana.* Nam ex abusu potestatis, quem facit homo, sicut ex alijs malis, divinus superior, qui ejusmodi mala permittit, permissione conducente etiam in hominis praedestinationem, elicere potest bona maxima; non humanus.

§. II.

An peccet utens dispensatione concessa sine causa?

2067. Utentem dispensatione, quam Legislator etiam sine causa, *valide*, quamvis illicite concessit in lege sua, non peccare, etiam venialiter; sic Castropalaus cit. q. 1. n. 8. cum Suarez cit. l. 6. c. 19. n. 14. & alijs. Nam lex illa positiva (in qua valide dispensatum est) non extat amplius; ergo contra illam non peccat; sed nec peccat contra aliam legem, se non conformando alijs non dispensatis; nam dispensatio valida illum ab hoc eximit: nec etiam peccat *utendo* dispensatione valide concessa; nam usus rei, sublatà legis prohibitionem, non est illicitus; etsi peccet, petendo fieri dispensationem sine causa.

2068. Et quamvis superior secum sine causa dispensando in lege sua, etiam utendo dispensatione, peccet; id tamen est ex ratione, quae non afficit subditum utentem dispensatione sibi valide concessa. Hic enim non tenetur dispensationem, & imprudenter, & non fideliter à Legislatore factam revocare; cum ei non incumbat cura gubernandi communitatem per leges, quas condendi, & conservandi potestate gaudeat; secus, superior.

2069. Illud adhuc not. quod juxta Pyrrhum Corradum l. 1. num. 7. causa dispensandi nunquam subintelligatur, nisi exprimat; & eam non expressam dispensationem reddi nullam; & sic dispensatum non fore tutum *quoad Deum*, imò peccatum toties,

toties, quoties dicta dispensatione uteretur; nbi tamen n. 9. subjungit, *secus esse in foro exteriori*. Verum pro foro conscientie contrarium videtur dicendum. 1. saltem in dispensatione concessa per inferiorem Pontifice. Nam in horum rescriptis non exigitur forma styli Romanæ Curie. 2. quia si causa per incuriam officium ommissa est, non debet in foro conscientie præjudicare oratoribus, qui sine dolo sincerè processerunt. 3. quia cum dispensatio valeat, data sine causa; non est, unde requiratur ad licitum ejus usum in foro conscientie, expressio causæ.

ARTICULUS IV.

De dispensationum causis in particulari.

2070. Corradus *cit. l. 7. c. 2.* plures recenset causas ad dispensationes in impedimentis matrimonij obtinendas de stylo, & in praxi receptas, quibus Pontifex moveri solet, ad concedendam supplicantibus impedimenti, cæteroque dirimentis eorum matrimonium, dispensationem; ex his magis communes, & frequentes proponemus; sed not. hic, quod diximus supra, non pro omnibus eandem causam sufficere, ut ibid. annotatum est; urgentiorem enim causam requirit dispensatio in propinquiori, quam remotiori gradu; præsertim, quando impedimentum non pendet à sola Ecclesiæ constitutione, sed ab alia obligatione præsupposita, quam dispensandi voluntate sibi sua imposuerunt, ut est votum.

§. I.

De prima causa propter angustiam loci.

2071. Inter frequentiores causas, ob quas pro dispensatione supplicari solet, satis recepta est, si propter *angustiam loci* non invenitur æquale matrimonium, nisi ineatur cum personâ consanguinea, affine, vel aliter impedita. Ex hoc enim fit, quod mulier deberet vel innupta remanere, quod est grave; vel in alium locum commigrare, quod est nimis durum: aut inferiorem nubere, quod communiter habet difficiles exitus. Not. autem, *angustiam loci* non tantum allegari posse, quando femina, sed etiam quando vir in tali loco non reperit æquale conjugium, nisi nubat impedito. Nec enim vir cogi debet ad matrimonium inferius, vel dispar, aut ad omnino caren-

dum; sic Caspar Hurta d. *de matr. disp. 16. diffic. 3. n. 11.* Dicastillo *tr. 10. d. 8. n. 88.* Et colligitur ex Brevi Innoc. X. apud Gobat in *Theolog. Experim. tr. 9. n. 187.*

Not. autem, quod hæc causa (*nisi nubat consanguineo, vel affini v. g.*) possit tripliciter allegari. 1. simpliciter, quod in tali loco, civitate, provincia, vel diocesi non possit alium paris conditionis reperire. 2. quod non possit alium habere etiam de *non in alium locum se transferendo*. 3. quod non possit habere alium in illo loco, & si extra dictum locum nubere cogeretur, doctam quam habet, non sufficeret, ut inveniret paris conditionis virum; ita Pyrrhus Corradus in *p. axi dispens. Apost. l. 7. c. 2. n. 6.* Nam primo modo allegare *angustiam loci*, non æquè sufficeret pro dispensatione *in secundo gradu*, quam allegare angustiam loci, secundo, vel tertio modo.

Circa hanc causam ex *angustia loci* petitam, plura annotant Corradus *cit. l. 7. c. 2.* & Vincentius de Justis *de dispens. matr. l. 3. c. 3. qui n. 2. docet*, ex stylo regulariter requiri, quod, ut hæc causa verificetur, requiratur; ipsam non posse matrimonium æquale invenire in loco originis, non domicilij, nisi Pontifex sciens locum originis, nihilominus concedat, verificari in loco domicilij: sed Gobat *cit. dicit*, si in loco domicilij non reperiat æquale matrimonium, ut habet *n. 644. nec angustia loci sine lege restringi debet ad locum originis. sic idem n. 648. cum alijs.*

Docet. 2. n. 4. olim hanc causam fuisse receptam, etiamsi allegata fuerit ab oratoribus originem habentibus etiam in magis, & frequentibus civitatibus; nunc autem restrictam: cum non recipiatur, nisi oratores sint ex loco originis, vere *angustia* hoc est, tali, qui etiam cum suburbis non excedat trecenta focularia; & prius, quam recipiatur, exigi, quod desuper exhibeat testimonium Ordinarij talis loci, quoad dictam *angustiam*; sic de Justis *cit. l. 3. c. 2. num. 5.* sed hoc intellige juxta seq. *num. 2095.*

Not. autem. 1. verificari hanc causam etiam in locis, ubi est frequens incolatus, si considerata *qualitate* oratoris, vel oratrici, æqualis sponsa, vel sponsus in eo non reperitur, prout sæpe, etiam in turbidibus frequentibus, evenire solet; & à fortiori, si locus sit solum pagus; sic Gobat *cit. tr. 9.*

tr. 9. n. 648. Not. 2. hanc *equalitatem* non esse considerandam ex solo genere, aut divitiarum paritate; sed vel maximè ex morum honestate, ne horum defectu inter conjuges pax deficiat; item ex unitate verè fidei, ne alter subversio- nis periculum subeat: ex convenientia personarum ad statum in conjugio decen- ter conservandum. &c. Not. 3. illam loci angustiam non esse adeò strictè ac- ciipiendam, ut censeatur non verificari, si eo loco sint non impediti, cum qui- bus matrimonium habere posset, quan- do sunt aliæ causæ, propter quas non ex- pediat illis nubere.

Ratio est, quia cum paritas, vel impari- tas personarum, in ordine ad matrimoni- um, ex multis attendatur, præsertim ex oratorum nobilitate, potentia, divitijs, ho- more, ætate, genio, & moribus. c. *Super eo elige. 2. de Testibus*; & aliunde tot etiam ipsius Ecclesiæ decretis matrimonia debe- ant esse libera; non eo ipso quilibet etiam genere, vel opibus par, & non impedi- tus, si alia adveniant, sufficiet, ut non verificetur, in tali loco (consequenter *ob ejus angustiam*) non posse haberi alium parem, nisi impeditum. Ex hoc colliges, *angustiam loci* adhuc verificari. 1. Si ma- jor pars talis loci conjuncta sit sponso, vel sponsæ matrimonium quærenti. 2. Si sint quidem plures non impediti, sed eo super- iores ætate, vel aucti prolibus ex alio ma- trimonio; vel moribus asperis, prodigi, lu- lores, imbuti malis moribus, segnes, inhabi- les ad decus familiæ, Zelotypi, de qui- bus plura Vincent. de Justis l. c.

2077. Not. 4. majorem vim, & efficaciam habere causam, si non tantum angustia loci, sed *locorum* allegetur, ut notat Cor- radus cit. l. 7. c. 2. n. 7. dicendo, quòd et- iam de uno in alium locum se transferen- do, propter illorum angustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem sibi pa- rem non possit invenire. Nam quando causæ aliquæ seorsim non sufficiunt ad impetrandum, multæ ad invicem aggre- gatæ sufficiunt, juxta L. *Instrumento. C. de Probat. ibi: singula, quæ non prosunt, collecta juvant.*

2078. Not. 5. ut verificetur causa propter angustiam loci juxta de Justis, satis esse, quod tunc, cum petitur, & executioni datur dispensatio, verum sit, quod non

Tom. IV.

possit in tali loco habere matrimonium æquale, nisi nubat canonicè impedito. Nam sufficit verificari verba rescripti, pro- ut sonant; at hæc denotant tempus præ- sens. Quare non obstaret, licet post executionem dispensationis posset habere parem virum non impeditum; sic ille cit. l. 3. c. 2. n. 26. docens id recipi ex constan- ti Curie Romanæ stylo.

Sed esto id sufficeret, dubium tamen est, an tam in hoc, quàm alio casu dis- pensationis, preces, & causæ, quæ alle- gantur, de necessitate verificari debeant, cum dispensatio petitur, & executioni datur: pro quo not. posse inquiri de cau- sis dispensationis, quæ conceditur *in forma gratiosa*, seu quæ continet *gratiam factam*; hæc enim propriè dispensatio est; vel quando solum conceditur *in forma commissaria*, & non continet *gratiam factam*, sed *faciendam* ab eo, cui committi- tur, & sic non tam est dispensatio, quàm *mandatum* faciendi dispensationem. his prænotatis.

2079. Quando dispensatio est *in forma gratiosa*, sufficere, quòd tunc causæ veræ sint, quando gratia fit, esto postea deficiant; quia tunc narratio causarum in supplicatione non indiget aliâ justifica- tione: quando autem expeditur in for- ma commissaria, hoc est, quando non continet gratiam factam à Pontifice, sed solum mandatum gratiæ faciendæ ab eo, cui committitur, narrata erunt verifican- da tempore executionis; licet tempore datæ non essent veræ; sic Corradus l. 7. c. 2. n. 31. ex Garcia de *benfic. p. 6. c. 2. n. 283.*

§. II.

De eadem causa, cum clausula & si extra.

Quando vir, & mulier non potest 2080. habere matrimonium æquale, in loco suæ originis, nisi canonicè impeditum; & si extra illum locum deberet nubere, dos, quam habet, non esset competens, ut cum ea virum, cui juxta status sui conditionem, nubere posset, inveni- ret, allegari solet, & recipitur causa propter angustiam loci, cum clausula, & si extra. Circa quam causam Not. 1. hanc causam cum dicta clausula non esse necessariam, nisi quando petitur dispensatio

T t t

in gra-

in gradu propinquiori v. g. secundo, & tertio. Nam pro his requiritur causa urgentior juxta dicta, qualis est hæc cum ea clausula; sic Corradus *cit. l. 7. c. 2. n. 11.* & not. *ex eod. n. 13.* si unus Oratorum sit ex diversis locis, & diocesisibus quoad originem, causam allatam verificari in utroque loco.

2081. Not. 2. quodd, cum non raro ea clausula: *est extra*; difficulter verificari possit, loco illius, ad eundem effectum, addi soleat hæc, quæ est facilior, & tutior: quodd Oratores, seu supplicantes, sint ex honestis familijs; ubi tamen nota, tunc augeri expensas dispensationis in quinque ducatis auri de camera, vel circiter; sic de Justis *cit. n. 110.* Caterum expressio qualitatum personæ, quodd sint Illustres, Nobiles, Comites, non est necessaria, nisi cum talis qualitas assumitur *ut causa finalis*, nimirum, ut eo titulo impetretur dispensatio; vel cum volunt se eximere à necessitate verificandi clausulã, & *si extra*; sic Corradus *cit. n. 19.* & ex illo de Justis *cit. l. 3. c. 2. n. 113.* dicens: sic inconcusse servari stylum Curie Romanæ.

§. III.

Quæ specialiter exprimenda sint, cum allegatur angustia loci?

2082. Cum hæc causa verificari debeat regulariter quoad locum originis, & non domicilij Oratorum, ut dictum est *n. 2073.* sequitur exprimendum in supplicatione cujusque locum originis, ut executori de veritate causæ allegatæ constare possit, quando dispensatio fit in forma commisionis.

Not. autem. 1. sufficere, quodd verificetur in loco domicilij, si Papa sciens eos alibi ortos, consentiat, ut ibi verificetur in loco domicilij; ut dictum est *n. 2073.* sic enim tacite dispensat in lege communi de loco originis. Hæc autem dispensatio tacita consistit in ratihabitione, seu præsumptione voluntatis superioris dispensantis, verbis, vel signis manifestatæ. Hujus voluntatis signum est, si superior, sciens, te prohibitum, tibi præcipiat, vel concedat actum aliquem, qui à te sine dispensatione, in illius lege, exerceri non potest. Non enim præsumi potest superior præcipiens illicita, & juri repugnantia; quodd tamen fieret, si non, sublatã

lege suã talem actum prohibente, cum nihilominus tibi præciperet; ita Sanchez *l. 6. de legib. c. 13. n. 23. & seq. aliquæ.*

Dixi, si præcipiat sciens, te prohibitum. Nam ex ignorantia impedimenti, mandatum *velatè ad illud*, non procedit; sic Rebuff. *in pract. tit. de dispensat. à n. 7.* Leges autem à se latas superior ignorare non præsumitur, sed habens in scrinio sui pectoris; hoc est in debita notitia. Ex hoc colliges, Pontificem, si cognito aliquos cum impedimento dirimente matrimonium contraxisse, mandet, vel concedat, ut in eo matrimonio possint pacifice remanere, tacite dispensare super tali impedimento, jure solum Ecclesiastico inducto, arg. *L. quidam consulte. ff. de re judicat.* ubi Princeps dignitatem concedens minori, censetur dispensantem, ut gesta per ipsum valeant.

Not. 2. hanc loci Oratorum expressiorem faciendam in supplicatione, Pontifici porrecta, in nullo alio casu esse necessariam, nisi cum petitur dispensatio propter angustiam loci. Unde in alijs sufficit exprimi dioceses eorum. Nam in illo casu habet rationem *cause finalis*, ob quam dispensatio petitur. Et ideo error in loco (pro hoc casu) cum esset error in causã finali, seu motiva, ex qua Pontifex ad dispensandum movetur, vitaret rescriptum, seu mandatum dispensantem ob angustiam loci: sic de Justis *cit. lib. 1. c. 6. n. 126.* dicens, esse de inconcusso stylo Curie.

Not. 3. in omni supplicatione dispensationis impetrandæ à summo Pontifice, exprimendam esse, de necessitate styli, *discrimin*, ex qua originem ducunt Oratores, & quidem, cujusque suam, si sint ex diversis; sic Corradus *l. 7. c. 5. à n. 24.* Hoc enim requiritur, ut sciatur, cui committendum sit mandatum dispensationis, quodd nunc communiter est in usu, cum Oratores sunt distantes; alias dispensatio vitabitur, tanquam concessa contra intentionem Papæ.

Not. 4. Cum datur mandatum dispensationis sancti, commissum Ordinario Oratorum, non expresso, vel specificato, quodd sit ordinarius originis, hanc facultatem ex stylo intelligi commissam Ordinario originis, & non domicilij; ille enim in dubio semper intelligendus venit, ut notat Cur.

Corradus *cit. l. 7. c. 5. n. 31.* Nam illi proprie dicuntur de tali loco, qui ratione originis de illo sunt, teste Garcia de *benefic. p. 7. c. 9. n. 22.* Et quamvis quis proprie dicatur ortus de illo loco, ubi natus est, intelligi non merè accidentaliter, & fortuito, ut quia Mater casu, vel itinere, aut ad breve tempus eo venit; sed naturaliter, nimirum tanquam in loco domicili; oriundus autem ab eo loco, qui originem ducit à tali loco; seu, ubi majores ejus nati fuerunt, ut notat Garcia à *num. 25.* ex usu tamen jam inducto, ortus pro oriundo, & vicissim, sumitur, teste Viviano de *Jure Patronat. l. 6. c. 11. num. 14.* quod tamen accipe de origine paterna, non materna; sic de Justis *cit. l. 1. c. 6. n. 150.*

§IV.

De causa propter incompetentiam dotis.

287. Si mulier ob dotis insufficientiam non potest facile, juxta status sui conditionem, habere virum extraneum, æqualem, rationabilis causa est illam dispensandi ad matrimonium cum aliquo conjuncto. Circa hanc causam not. 1. ex Corrado *cit. l. 7. c. 2. n. 21.* quòd allegare incompetentiam dotis, non sit proprie idem, ac allegare pauperatam. Nam ob hanc Oratores evadunt solutionem expensarum in dispensatione requisitarum; secus, ob illam; quamvis autem Corradus neget, sufficere, quòd tunc oratrix dote careat, si habeat jus dotis accipiendæ: Caltropalaus tamen *d. 4. de sponsal. p. ubi. p. 2. n. 2.* censet sufficere, quòd tunc careat; cum de presenti requiratur ad onera matrimonii, & sufficere, si eam de presenti non habeat, nec habere possit, esto post mortem parentum obventura sit. sic tenet etiam Sanchez *l. 8. d. 19.*

288. Ex hoc colliges circa hanc, & alias causas, in hujusmodi dispensationibus verificandis, sufficere, si fuerunt verè tempore impetrationis, licet postea deficiant. Sic Corradus *loco cit. n. 28.* quòd tamen intellige, juxta n. 2079. Not. 2. quando dispensatur ob incompetentiam dotis in oratrice, ad verificandam eam causam, juxta Corrad. *cit. l. 7. c. 2. n. 22.* sufficere,

Tom. IV.

hanc incompetentiam respectu eorum, qui degunt in loco talis mulieris; etiam si sint in vicinia non impediti, qui eam acciperent, cum modica dote, quam habet; si sic habet stylus; in nomine Domini. Caterùm non video, quomodo cohæreat cum eo, quòd dispensationis interpretatio stricta esse debeat. Supponitur enim, quòd loquatur de casu, quo illi vicini cateroquin matrimonio pares forent.

Not. 3. ex eo, quòd sit alius, qui seculo quovis pacto prævio dotare velit oratricem, non deficere veritatem causæ, quòd illa dotem competentem non habeat; nam ex hoc non habet jus certum; quòd etiam procedit in casu pacti sub certa conditione adhuc pendente; ita Sanchez *cit. d. 19. n. 24.*

Dices: ergo, si habeat jus certum dotis sibi debitæ à parentibus, causa non verificabitur, esto actu dotem non habeat, ut diximus supra, & tenet Corradus *cit. n. 23.* nam res destinata habetur pro facta; quia potentia propinqua actui, habetur pro actu, juxta *L. qui in utero ff. de status hominum. §.* si jus ita certum sit, ut parentes dotem prudenter, ob nullam causam, negare possint, aut alio eventu non dare, transeat illatum; non autem secus. Nam per hoc, quòd habeat, de presenti non consultitur oneribus matrimonij. Ad prob. §. illam procedere in favore, non in odio, dispensationis autem verificatio continet odium; ergo ejus verificatio intelligi debet de dote, quam habet.

Not. 4. hanc causam, quæ petitur ab incompetentia dotis, sufficere pro impetranda dispensatione in gradu remotiori v. g. quarto, non autem propinquiori v. g. secundo, & tertio, vel tertio tantum: sic Corradus *cit. n. 37.* reddi tamen sufficientem, si addatur, quòd is, qui vult, sed propter impedimentum eam ducere non potest, velit illius dotem augere ex bonis suis alio titulo nondum gravatis, si exinde dispensatam in uxorem habere possit. Not. 5. etiam hanc causam admitti pro gradibus remotioribus, si mulier dotem quidem habet, sed litibus involutam, & non sit, nisi canonicè impeditus, eam volens accipere, qui eam litem in se suscipere, &

T t t 2

prose-

prosequi velit, ac possit; de quo Sanchez l. 8. d. 29. n. 20.

2092. Not. 6. Si casus contingeret, quod Executor dispensationis commissa, ex causa incompetens dotis in oratrice, comperiret esse omnino indotatam, vel ex causa mulieris indotatae, deprehenderet esse dotatam, licet fortè non competenter, juxta Corradum cit. n. 50. dispensationem sic reddi nullam, ut nec possit corrigi, sed impetranda sit nova gratia, saltem in forma perinde valere, & hunc esse notorium Curia stylum.

2093. Verum, etsi hoc sit de stylo, ut ait cit. Author; existimo tamen adhuc sufficienter verificari causam, prout motivam Papæ ad dispensandum, consequenter ex hoc capite mandatum non esse irritum. Nam mulier indotata (quæ nihil vel modicum habet) in vero sensu dicitur non dotata competenter; nec enim in communi verborum sensu aliud sonare videtur, esse incompetenter dotatam, licet dialecticè forsitan, & rigorosè sonet, habere dotem, sed non sufficientem; si enim hoc sufficit, ut dispensetur, ne defectu dotis incompetentis innumpta cogatur manere, à fortiori sufficere, si nullam habeat, cum difficilius acquirat matrimonium. Et ratio est, quia paria sunt, non habere dotem, vel habere insufficientem ad nubendum equali, ut notat de Justis cit. l. 3. c. 3. n. 2. & apud eum Loth. de re Benefic. l. 1. q. 29. 18. & alij. Et ideo cit. de Justis n. 20. rectè docet, eam doctrinam Corradi in n. priori, esse nimis rigorosam, & approbat ea, quæ diximus hic, præsertim, si in ijs causis allegatis, absit dolus.

2094. Not. 7. petere gratiam in forma perinde valere idem esse ac petere gratiam, cujus virtus sit, revalidare gratiam ab ipso Papa concessam, sed ex aliqua parte invalidam. Et sub hac forma conceditur etiam in causa, quæ movebatur Pontifex pro prima, quando utraque tendit ad unum finem; sic Corradus cit. n. 52.

Not. 8. verificari causam insufficientiæ dotis, si oratrix dotem sufficientem habeat, ad nubendum equali non impedito, licet minus sufficiens sit respectu alicujus impediti, qui eam ducere vult, juxta Navarr. in summa c. 22. n. 87. & alios: sed probabilius est non verificari, prout est causa motiva ad concedendam dispensatio-

nem; quia intelligitur defectus dotis sufficientis ad nubendum equali: ita Coninch de Sacram. d. 33. c. 5. n. 47. Filliuc. tom. 1. tr. 50. p. 2. n. 7. Pontius l. 8. c. 21. q. 1. n. 23. & alij.

Not. 9. mulierem censeri non sufficienter dotatam i. si ejus parentes sint in tali statu, ut non possint, dum vivunt, se privare parte bonorum, quæ necessaria foret ad constituendam illi dotem pro matrimonio equali; ita Pontius cit. n. 23. & alij. 2. Si facultates non sufficienter ad filiam competenter dotandam, nisi et parentes plus ceteris darent; quod de jure non tenentur, esto vellent; ita Sanchez l. 8. hic d. 19. à n. 22. Tertiò, si dos esset quidem secundum se sufficiens, sed in estimatione (quantum est ad vim, & efficaciam consequendi æquale matrimonium) decreverit ex alijs circumstantijs v. g. quia mulier illam habens, esset rixosa, deformis, vetula, alijs liberis gravata, malis moribus imbuta, famæ minus integra &c. Item, si dos esset litigiosa, vel gravata, &c. ita Sanchez cit. n. 29. Coninch cit. d. 33. d. 5. n. 47. & alij.

Ex hoc colliges, quando diximus, angustiam loci non verificari, nisi locus sit modicus, & ut vult de Justis ibi cit. non excedens trecenta focularia, similiter loci parvitatem non esse accipiendam absolute, sed relatè ad homines non impeditos in eo degentes, cum quibus possit haberi matrimonium æquale; cum hæc consideratio respectiva rectè admittatur in materia dotis, quæ non minus, quam loci angustia verificari debet, etiam in causa, præter angustiam loci, sufficere.

§. V.

De causa propter orituram scandala.

Not. ut vitentur scandala probabiliter oritura, recedi à jure communi. c. 1. de novi oper. nunt. & ideo plura concedi aliàs prohibita. Ex multis enim capitibus subnasci possunt scandala, nisi in lege, quæ servatà evenirent, dispenserent. Ea porrò sunt, infamia, graves inimicitiae, periculum incontinentiæ, grave periculum non obtinendi decentes nuptias. Et ideo, cum hæc causa de gravibus alioquin scandalis orituris, nisi dispensatio conce-

§. VI.

De reliquis causis pro impetranda dispensatione receptis.

concedatur, allegatur, sufficiens communiter censetur ad impetrandam dispensationem tam pro matrimonio contrahendo, quam pro jam contracto non dissolvendo. Nam hic aequè, ac in præmissis militat eadem ratio; ita Sanchez l. 8. hie d. 19. n. 10.

Not. 2. hanc causam posse allegari cum certis circumstantijs v. g. copulæ scienter vel ignoranter habitæ, aut non habitæ cum impedito, non tantum, cum petitur dispensatio ad contrahendum; sed etiam ad in jam contracto persistendum; præsertim, si sine, vel cum animo per hoc facilius obtinendi dispensationem, copula habitæ est inter scienter impeditos, qui dispensari volunt. quare.

Not. 3. quando petitur dispensatio ad contrahendum, & pro impetranda in supplicatione allegatur *causa scandalorum*, nisi dispensetur, oriturorum, exponendam esse primò *radicem*, ex qua merito timeantur ea scandala v. g. rixæ, infamia, insidiæ vitæ &c. nisi matrimonium contrahatur inter impeditos. 2. an ea *causa scandalorum*, cum, vel sine scientia impediti, data sit, vel solum ex humana imbecillitate, vel etiam de industria, ut exinde facilius dispensatio eliciatur? Nam causæ sufficientes pro primo casu, ubi copula inter impeditos habitæ est cum ignorantia impediti; vel si cum scientia, non tamen spe facilius dispensationis, non sufficient pro secundo. 3. quando causa scandalorum allegatur ex copula inter impeditos præhabita, sic ut hæc tanquam radix scandalorum, quæ timeantur, sit causa finalis, seu motiva Papæ, necessario explicanda est copula præhabita; quomodo enim alias Pontifex ex ea, tanquam causa dispensandi, moveri posset?

2098. Dixi: quando est causa finalis, seu motiva; si enim non sit, probabilius esse diximus à n. 1166. non esse de necessitate explicandam in casu, quo impediti nulliter contraxerunt, & matrimonium consummarunt, etiam scientes impedimentum; si afferant alias causas sufficientes; excipere tamen, nisi id fecissent de industria, ut scilicet elicerent dispensationem; vel, ex ea copula natum sit aliud impedimentum, cuius dispensatio exigeret notitiam copulæ. Plura de his V. à n.

jam cit.

De his fusè agit Corradus sæpe cit. l. 7. 2095. c. 2. & seq. Vincent. de Justis, cit. l. 3. c. 2. & seq. qui potissimum se fundant in stylo Curie Romanæ. Caterum *stylus*, cum sit *quid facti*, eget probatione, ut notat ipse de Justis cit. l. 1. c. 4. n. 344. & dato quod probetur, adhuc non inducit necessitatem alijs iudicibus, & Tribunalibus, extra curiam Romanam, illum servandi, aut sequendi, nisi sit scriptus, probatus, notorius, & speciali decisione, ac declaratione Pontificis confirmatus; sic de Justis cit. n. 345. & apud eos Cavallos, Ferretus, Gratianus, Boërius; Cujus ratio est, quia *stylus Romanæ Curie maxime variabilis est*, ita ut ad mutationem Papæ, & Auditorum varietur, teste Hostiensis in summa n. 4. Procemij. Et ex hoc natum est dictum; *illum esse modo album, modo nigram*, ut notat Parisius de Resignat. l. 3. q. 6. n. 24. his præmissis:

Præter præmissas causas ad consecutionem dispensationis matrimonialis jam receptas, numerantur alie apud eum. Authores, de quibus breviter. Prima est, si in aliquo sit *periculum patiendi gravem jacturam bonorum*, quæ possidet, vel jus possidendi habet, si non nubat ei, cum quo habet impedimentum; sic Castropalaus d. 4. de spons. punct. ult. §. 2. n. 2. Nam causa pietatis est, succurrere sic periclitanti; Secunda est, *causa ob lites*, ut, si ex eo, quod tales impediti dispensentur, & contrahant, omnino componerentur graves lites, vel inter ipsos oratores, aut eorum parentes, consanguineos, vel affines ortæ, ac etiamnum vigentes, & aliunde, quam ex causa matrimonij contrahendi provenientes. Nam *bonum pacis est maximum Reipublicæ commodum*, quod specialiter Ecclesia respicere solet.

Tertia est *causa ob inimicitias graves*, & periculosas componendas, cum circumstantijs, de quibus priori num. Nam unio, pax, & concordia tam spirituali, quam temporali Reipublicæ maximum affert emolumentum, si exinde, quod cum talibus impeditis di-

Ttt 3

spene-

spensetur, & matrimonium sequatur, omnino sedantur, & componuntur; de quo V. de Justis cit. c. 5. num. 13. & seq. Quarta est causa, quod mulier sit vidua, & liberis gravata, quos alius impeditus canonicè, si ei nubere possit, alere, ac educare spondet. Hanc causam censet de Justis c. 7. raram esse, & sufficere pro gradibus tantum remotioribus; sed hæc causa jvari potest, ut etiam procedat in propinquioribus; si accedant illi plures aliæ, ut dictum est; in superioribus v. g. quod mulier exponeretur periculo incontinentiæ, præsertim, si adhuc juvenis sit; vel alias proles carerent justâ educatione, &c. ut rectè notat Castropalaus cit. 2. n. 2. in fin. Sanchez cit. d. 19. n. 34.

2102. Quinta est causa ob ætatem in oratrice adhuc innupta. Nam si femina, hæcenus adhuc semper innupta, attingit 24. annum ætatis, & necdum virum sibi parem, ac non impeditum invenit; hic excessus ætatis admittitur, ut cum ea dispensetur ad nubendum impedito. Ex quo vides hanc causam non procedere in viduis. Nam rescriptum dispensationis ex hac causa expressè loquitur de femina, que hæcenus parem virum non impeditum non invenit, quod non verificatur de vidua. Recipitur autem hæc causa in gradibus remotioribus; si autem excedat annum 25. etiam in propinquioribus. Sexta est propter excellentiam meritorum; ob hanc causam pariter dari solet dispensatio matrimonialis; solent autem considerari non tantum merita oratorum, sed etiam parentum, & majorum talis familiæ, ut si pro bono Ecclesiæ, & re Christiana multis annis strenuè laborarunt, vel contra infideles, aut hostes Ecclesiæ fortiter pugnarunt, &c. ut colligitur ex c. tali conjugio. r. q. 7. ibi: tali conjugio generati, Ecclesiasticis ordinibus non applicentur: nisi forte eos aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, aut evidens meritorum prerogativa commendet. Quia justum est, ut Ecclesiæ benignitatem experiantur, qui apud ipsam bene meriti sunt. Movetur autem Pontifex aliquando etiam ex meritis aliorum, nimirum in gratiam, & ad instantiam bene merentium, qui pro creatoribus suas preces interponunt. Et ideo gratia, quæ fit intuitu meritorum, non est mera gratia, sed actus onerosus; debent

autem merita coram delegato probari; cum sint causa finalis, & motiva; nec sunt ex illis qualitativis, quæ de stylo Curia solim ad pompam, & ornatum literarum apponuntur v. g. vita, ac morum honestas, aliæque laudabilia probitatis, & virtutum merita nos inducunt, &c. sed non conditionaliter, seu ut probentur.

Septima causa est conservatio alicujus magnæ familiæ. Hæc causa, etiam unica, inter Principes, pro dispensatione allegari solet etiam pro gradibus propinquioribus. Sic Greg. XIII. ob hanc causam dispensavit cum quadam Luisa Comitissa S. Gaude, ut nuberet patroo, non obstante, quod prius ille sororè Comitissæ habuerit, & hæc voto castitatis ligata fuerit, ut fert Sanchez l. 8. d. 19. n. 31. apud Corrad. cit. l. 7. c. 2. n. 108. Octava causa est conservatio divitiarum in eadem familia. Tribui ob illam sufficientem causam dispensationis censet Castropalaus disp. punct. ult. 2. n. 2. ex L. 1. 2. de nuntiis. re. vers. publicè. ff. de ventre inspicendo; quia reipublicæ interest familias locupletes conservare. Idem est, ut bona conserventur in eadem familia; & admitti solet pro dispensatione etiam in propinquioribus gradibus; Corradus l. 7. dispensat. disp. c. 2. n. 100. Licet autem ob hanc causam concedatur dispensatio etiam in propinquioribus gradibus, ut in primo, & secundo; vel in secundo tantum, non solet tamen, nisi inter Magnates, & personis illustres, & potentes, attentâ qualitate loci; sic Trullench. tom. 3. l. 7. c. 10. d. 2. n. 8. & ex illo de Justis l. 3. c. 14. n. 10.

Nona causa est, si oratrix Catholicæ non possit facile habere alium virum Catholicum, nisi nubat huic, cum quo habet impedimentum; vel qui velit cum ea habitare in tali loco, periculis frequenter expósito incurfionis hostium, &c. vel si non sit tutum cum quibusvis alijs contrahere, eò quod multi diversæ religionis homines in tali loco sint, qui vel religionem Catholicam simulant, & suam dissimulant. Decima causa est propter prolem susceptam ex matrimonio, bonâ fide, sed ob impedimentum nulliter contracto. Nam pietatis consonum est, ne tales conjuges separentur. c. quia circa, de consanguin. intellige si matrimonium initum sit saltem unius bonâ fide ex dict. superius; non autem si malè

malâ fide utriusque. Nam incestus scienter ab utroque commissus nequit Pontificem rationabiliter movere ad gratiam dispensationis concedendam.

Undecima est, si propter conversationem ad invicem, quâ impediri, scientes se impeditos, nisi sunt, etiam nulla intercedente copulâ, sed tantum signis futuri matrimonij, ex suspitione publicâ, licet falsâ, exortâ, quod se carnaliter cognoverint, mulier, nisi inter ipsos matrimonium fieret, graviter diffamata, & verosimiliter innupta remaneret, de qua Corradus cit. l. 7. c. 3. n. 7. Decima est, & vocatur sine causa. Pro qua not. i. quod quandoque concedatur matrimonialis dispensatio, sub clausula: *ex certis rationalibus causis, animos oratorum moventibus* ad inendum inter se matrimonium; ut notat Corradus cit. l. 7. c. 2. n. 111. Tales dispensationes de stylo Curia vocantur, sine causa, de quo Sanchez l. 8. d. 19. n. 35. non quod non adfit aliqua causa; sed quod non propaleatur, nec ab Executore inquirenda sit; & sufficiat examinare testes pro verificatione aliorum narratorum in literis dispensationis v. g. an verum sit, quod de nobili genere sint procreati: Hinc ejusmodi dispensationes non conceduntur sine causa, quâ justè moveatur Pontifex; sed solum dicuntur sine causa, quæ nimirum, ut alias solet in mandatis dispensationum, specificè exprimat. Ideo enim dicitur in genere, *ex certis rationalibus causis*. Et tales dispensationes dantur sæpius super gradibus non ita propinquis, sed aliquantum remotis, ut docet Sanchez l. 8. d. 19. n. 35. & impetrantur, si oratores scribant, se de honesta familia, vel nobiles esse; ac offerant copiosorem compositionem, seu sumptus, qui deinde ad expensas publicas in bonum Ecclesiæ convertantur, ut notat Sanchez cit.

Not. autem Executorem talis mandati, non teneri, imò nec debere, Oratores examinare, quæ sint illæ causæ generaliter expressæ sub terminis: *ex alijs rationalibus causis*; sed sufficere, si tantummodò testes examinet super verificatione aliorum narratorum in mandato dispensationis. Nam illa verba generalia sunt potius ad inducendam gratiam sub honestatis specimine, quàm ut coram Executore examinentur, & verificentur; & cum,

ut ponit casus, illæ causæ in animis Oratorum existant, ut constat ex verbis (*ex certis, & rationalibus causis, animum suum moventibus*) quæ, ubi mandatum non præcipit, inquirendæ non sunt; ita Sanchez cit. l. 8. d. 35. n. 24. & ex illo Corradus cit. c. 2. n. 112. licet in mandato sit apposita clausula: *te diligenter informes*, intelligitur tamen solum, super impedimento, & reliquis specificè narratis, quæ vim motivam explicant, quâ Pontifex ad annuendum petitioni movetur; ita Sanchez cit. & alij. Nam licet alias exprimi debeat causa dispensandi, & coram Executore verificari, intellige tamen, ut dixi, cum causa specificè continetur in mandato.

Dixi, sufficere, quod coram Executore verificentur reliqua specificè narrata v. g. quod Oratores sint nobiles, quod sint primores talis loci, &c. quod intellige, quando talis qualitas narratur, tanquam motiva Pape ad dispensandum, quod fit, (ut notat de Justis cit. l. 3. c. 2. u. 118.) quando talis qualitas in narrativis exprimitur sola sine alia causâ, vel specificè, vel generaliter expressâ, cujus signum est, quando in mandato dicitur: *ut asserunt*, se de nobili genere ortos; vel, *ut asseritis*, vel *asserentes*, &c. Nam tunc onus probandi eis incumbit; non autem alias, si simpliciter tantum narretur; ita Corradus cit. c. 2. à n. 119. de Justis l. 3. c. 2. n. 114. & c. 13. à n. 3.

Cæterum, si nobilitas esset qualitas probanda coram Executore, si in literis simpliciter dicatur, *Oratores esse nobiles*, sufficienter probatur hæc qualitas probatâ nobilitate Patris; sic Gutierrez de matr. c. 128. n. 3. vel quod ipsi nobiliter vivant, eaque exerceant, quæ ad statum nobilem spectant, propterea abstinentes ab his, quæ populares agere consueverunt. Quoniam verò plus est, *esse de nobili genere procreatum*, quàm *esse nobilem*, priores probationes pro isto, non probarent sufficienter illud; cum quis possit esse nobilis, & non procreatus de genere nobili. Nam sicut sunt nobiles in triplici classe, alij nimirum *nobiles genere*; alij *honoribus, & virtute*; alij *Principis privilegio*, seu gratiâ: sic in duplici classe sunt *plebei*, ex quibus quidam dicuntur viles, & sordidi, quales dicuntur mechanici; quidam autem, qui pro-

proficiuntur artes honestas, ubi scilicet major requiritur prudentia, & ingenium, quam corporis exercitium, ut sunt pictores, &c. de quibus qualitatibus, qualiter probentur, si verificandæ sint coram Exe- cutore, latè agit de Justis *cir. l. 3. cap. 2. à n. 122.*

ARTICULUS V.

Quomodo matrimonialis dispensatio vitietur.

2109. Non est dubium in supplicatione pro impetranda dispensatione in impedimen- tis dirimentibus quandoque narrari falsa, & taceri vera, quorum quodlibet quan- doque facit, ut, quantumvis concedatur dispensatio, ejusmodi narratis innixa, ni- hilominus dispensatio non valeat, ut plu- ribus ostensum est in *l. 1. decret. tit. de re- scriptis*. Cùm autem juxta diversitatem impedimentorum, diversa sint, circa quæ, vel expressio falsi, vel taciturnitas veri committi potest, de illis agam in seq.

2110. Not. autem. 1. etsi juxta Sanchez *l. 8. hic d. 21. n. 2. obreptio, & subreptio* nihil inter se differre videantur, fortassè quoad juris effectus; *obreptio* tamen propriè committitur *narrando falsum; subreptio tacendo verum*, quod erat de necessitate exprimendum. Not. 2. potissimam diffi- cultatem esse in eo, ut sciatur, quæ nar- ratio falsi, vel taciturnitas veri dispensa- tionem vitiet, hoc est, faciat, ut eâ stante, in Pontifice deficiat intentio concedendi dispensationem? Not. 3. generaliter hanc regulam dari posse: tunc in Principe, di- spensationem legis concedente, deficere intentionem dispensandi, quando nar- ratio falsi, vel taciturnitas veri causat errorem in eo circa substantiam, vel quali- tatem rei, de qua gratosè disponit, cui suam intentionem simpliciter alligavit, tanquam conditioni *sine qua non*, ut diximus aliàs à n. 1162. In exemplo: Ti- tius, qui cum Berta, quam vult ducere, est *in secundo gradu* consanguinitatis; cùm petit dispensari, tacet secundum gra- dum, & allegatâ angustia loci pro impe- trando, dicit se cum Berta conjunctum *in quarto gradu*. In hoc casu committitur *obreptio narrando falsum* nempe *quar- tum gradum*, qui non est; & *subreptio tacendo verum*, nimirum *gradum secun- dum*, qui re ipsâ est: & quia in casu sic

proposito Pontifex eos intendit dispensare solum in quarto gradu, intentione sic al- ligata quarto, ut nolit valere gratiam suam, si non sit impedimentum in quarto gradu, ex dicta obreptione, ac subre- ptione fit, quòd in eo deficiat intentio di- spensandi, consequenter irritum ac nul- lum fit rescriptum, seu mandatum di- spensationis; arg. *c. quia circa. 6. de con- sanguinitate*; ibi: *quia pro ejus dispensa- tione à Sede Apostol. obtinenda, falsa nis causa fuerat allegata, &c.*

Not. 4. probabilius esse, ut dictum est, à n. 1162. & seq. gratiam, seu dispensa- tionem non vitari per obreptionem, vel subreptionem, nisi omittatur aliquid in supplicatione, quod exprimendum est *de jure*, vel *in concessio stylo Curie*, aut *legi- tima consuetudine*, *vim legis obviante*, de quibus jam egi supra à n. 1169. et seq. ubi etiam exposui, quando censeri debeat, aliquid exprimendum esse *de jure*; quando de stylo Curie, quando de consuetudine. Ex hoc colliges vitari gra- tiam, vel dispensationem, quando taceat qualitas de jure exprimenda. Nam eo casu expressio talis qualitatis à jure habe- tur pro forma ut colligitur *ex c. penult. de re scriptis*. ibi: *Si proponente aliqui mandam se beneficium Ecclesiasticum affectum, super provisione ipsius (licet minus competens obtinentis) rescriptum Apostolicum de hoc mentionem non faciens, impetretur, illud veluti fraudulenter obtentum, dicitur non valere; & c. si motu proprio 27. de præbend. in 6. ibi: si ad petitionem illius, vel alterius pro eadem oblatam, gratiam hujusmodi facimus: tunc enim (quan- tumcunque modicum beneficium taceatur in ea) ipsam surreptitiam vires nolimus obtinere.* Motu quoque proprio tunc lo- lum gratia fieri censetur, cum hoc ex- pressè cautum fuerit in eadem.

Colliges. 2. idem dicendum, licet per ignorantiam omisissæ sit expressio qualitatis de jure exprimendæ. Nam actus nullus est non servatâ formâ juris, etiam si per ignorantiam omisissio contingat, ut liquet in alijs casibus. Colliges. 3. idem dicen- dum, si omittatur qualitas exprimenda de stabili, notorio, deciso, & declarato au- thoritate Papæ stylo Curie, de quo diximus à num. 2099. aut consuetudine le- gitima. Nam hæc pro lege servatur. *Ad*

Minimè. ff. de legib. sic Layman. l. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 94. n. 1.

113. Not. 5. inter qualitates, & circumstantias rei, circa quam fit dispensatio, quasdam esse illi omnino extrinsecas; quasdam intrinsecas; & obreptionem, vel subreptionem circa illas non obtinere valori gratiæ; secus, circa istas. dicuntur autem intrinsecæ, quæ tales sunt, quas jus, stylus, vel consuetudo expressas vult, secundum dicta; sic Castropalaus *de legib. d. 6. p. 16. q. 3. num. 13.* & ex illo Gobat in *Theolog. Experim. tr. 9. n. 613.*

114. Ex hoc sequitur, valere dispensationem in irregularitate incurta à Sacerdote propter homicidium, esto nulla fiat mentio Sacerdotij; quia hæc circumstantia est prorsus extrinsecæ homicidio, cujus solius causa irregularitatem incurrit. Hinc not. cum saepe dubitetur, an causa, quæ ponitur in narrativis mandati, sit tantum impulsiva, an finalis, seu motiva? in dubio habendam pro impulsiva, cujus falsitas non vitiatur rescriptum. Nam in dubio, maximè pro valore matrimonij, mitiora sequenda sunt; ita Sanchez, Dicastillo, & alij apud Gobat *cit. n. 613.*

Idem etiam docet P. Josephus Gibalinus *tom. 2. scientie Canonice. l. 7. c. 5. q. 3. n. 1.* ubi ait, alterum modum, quo desinere potest dispensatio, esse cessationem causæ, quam aliqui justificantem, alij finalem appellant; cum enim eà causâ motus sit Princeps, neque nisi propter eam dispensarit, ubi eà causâ desinit, non videtur durare dispensatio: quia non fuit nisi conditionata quodammodo voluntas Principis a lege subditum eximentis, propter eam tantum causam, quæ modo cessavit prorsus, ut supponimus.

115. Et post hæc subiungit: quando causa est tantum impulsiva, & non finalis, etsi tota cesset, non annullatur dispensatio. Est autem causa impulsiva quæ movet Principem ad facilius concedendam gratiam, quam erat quidem concessurus, sed difficilius; finalis verò est, sine quâ non concederet omnino: in dubio autem præsumitur causa tantum impulsiva, ut latè Sanchez *d. 21. n. 20. l. 8. de matrim.* quia jura favent valori actûs, qui idcirco in dubio validus præsumitur: non desinere autem dispensationem unâ cum causâ im-

pulsiva notum est: quia illa est extrinsecæ omnino, & ab ea non est motus simpliciter dispensans.

Quando autem causa finalis desinit, vel tota desinit vel secundum aliquam sui partem duntaxat: si hoc posterius contingat, valet adhuc dispensatio, ut ait Sanchez *d. 30. l. 8. de matrim. n. 8.* quia in moribus aliæ causæ exiguntur, ut primo fiat aliquod opus, quàm ut factum permaneat; & aliud exigitur, ut obtineatur facultas, aliud, ut eà utamur, beneficiûmque Principis permanere debet, quantum fieri potest, ex Regul. jur. in 6. Denique quia ipsamet lex non cessat, quamdiu ejus aliqua causa finalis manet, ut latè habet Tirac. *tractat. cessante causâ, cessat effectus, limit. 17. num. 1. & 10.* atque ita commode frequentioribus scrupulis occurritur.

Not. 6. si, quod certum est, ponitur sub dubio, vitiari dispensationem, intellige, si fit vel substantia rei, vel qualitas redundans in substantiam; sic enim causaret errorem, ex quo deficeret intentio concedentis; ita Sanchez *l. 8. d. 21. num. 40.* Not. 7. si dispensatio aliquo modo cedit in præjudicium tertij, id ipsum exprimentum esse; quia Papa nunquam præsumitur velle præjudicare juri tertij, nisi id ipsum exprimat; ita Sanchez *cit. num. 50.* Not. 8. singula impedimenta in propria specie, & gradu esse exprimentum cum qualitatibus intrinsecis. Nam aliàs nec auferretur impedimentum, quod tacetur; quia circa illud, utpote non cognitum, non versatur concedentis voluntarium; nec circa id, quod falso narratur; cum eo ipso nullum sit.

Not. 9. innumera quodammodo esse, quæ in libello, seu supplicatione pro impetranda dispensatione matrimoniali exprimentum esse censent de stylo Curie illi, qui super hoc libros ediderunt, ut liquet ex Vincent. de Justis, præsertim *l. 1. c. 4.* ubi communiter etiam citatur praxis dispensationum Apostolicarum, de qua scripsit Pyrrhus Corradus saepe cit. Ex hoc autem fit, quòd in his, ubi stylus ille non est invariabilis, & notorius; uti revera contingit, magnæ omnino difficultates subnascantur, suspensiones supplicationum, expensæ graves, infamia, & alia damna Oratorum, scrupuli, & miræ anxietates

U u u

tates

tates tam exequentium mandata dispensationum, quam dispensationum, & alia sanè quàm plurima, bono communi fortassis plus noxia, quàm proficua.

2119. Quare, ubi ea, quæ illi authores de jure styli requisita dicunt, talia sunt quæ omnino exprimentenda vult stylus, prout in hac materia vim habet juxta n. 1162. omnino jédico secundùm illum esse judicandum de validitate, vel invaliditate mandati dispensationum, ex ratione data ibidem; non autem, ubi *probatum, inconcussus, notorius, auctoritate, ac decisione Pape* confirmatus non est, ut dixi loc. cit. Nam hi curiales non sunt jure suo Legislatores. Et ideo Pontius apud Escobar in *Theol. moral. l. 27. d. 198. n. 776.* negat stylum Curia habendum pro lege; quòd curiales Pontificij sæpe introducunt ignorante Pontifice stylum, seu consuetudinem; sed intellige, juxta præmissa *cit. n. 1162.* His præmissis descendendo in particulari ad impedimenta quoad quæstiones, quæ de necessitate exprimentenda sunt, in eorum dispensatione, sit.

§. I.

An & qualiter dispensari possit in impedimento ex errore?

2120. R. quando error est circa personam, vel qualitatem personæ, quæ redundat in substantiam, non dari, nec posse dari dispensationem in matrimonio ex tali errore contracto; quia tunc matrimonium est invalidum jure naturæ, non Ecclesiastico, ex n. 1072. Unde tale matrimonium nullâ dispensatione potest fieri validum, etiam inter infideles, nisi errans errore cognito det consensum in eam personam, in quam prius non consensit, errore defectum consensûs in eam causante, ut dixi à n. 1077.

2121. Not tamen. 1. ut error dirimat matrimonium, debere supponi aliquam notitiam personæ, circa quam fit error, sive talis notitia confurgat ex visu, auditu, vel fama; aliàs enim judicium, ex quo procedit consensus in personam, per errorem propositam, non esset falsum, nec erroneum. Etsi verò in casu matrimonij ex errore nulliter contracti non requiratur, imò nec dari possit dispensa-

tio, ex qua tale matrimonium sic contractum convalescat; tales tamen putativi conjuges non possunt *sine iudicio Ecclesie*, divertere à matrimonio quòd *vinculum*, etiam nullitate matrimonij cognitâ, secundùm dicta à n. 1633. his præmissis.

Si quæras an, & qualiter dispensari possit in impedimento ex errore conditionis servilis? R. quando liber contrahens cum muliere, quam credit liberam, cum sit serva, simpliciter aliter voluntatem suam qualitati *libertatis*, matrimonium factò contractum nullâ dispensatione convalescere, cum tali casus sit jure naturæ nullum ex dictis; si autem error talis conditionis non sit, qui jure naturæ vitiet contractum, sed tantum jure Ecclesiastico, liberum dispensatione non egere, si conditione cognitâ, nihilominus eam velit habere, ut diximus à n. 1038.

§. II.

De dispensatione voti simplicis.

R. loquendo primò de dispensatione in voto simplici *in ordine ad licitè contrahendum matrimonium*, quando tale votum præstat impedimentum tantum impediens (si enim esset jam illicitè contractum, non egeret amplius dispensatione, nisi in ordine ad usum activum matrimonij, petendi debitum, in quo dispensare possè Episcopum ejusque proprium, vel etiam eos, qui ad hoc privilegio gaudent, constat ex dict. à n. 2059.) dispensationem in voto simplici solum impediens matrimonium, si non sit reservatum, dari possè ab Episcopo, ut constat à n. 2061. Dixi, *si non sit reservatum* ejusmodi sunt vota castitatis Religionis.

Verùm circa hæc ipsa vota notandum, ea posse esse circa materiam reservatam v. g. castitatem, vel ingressum Religionis, quin ipsa sint reservata. Nam cum reservatio sit odiosa, consequenter strictè juris, intelligi debet de votis, quæ sunt *vota perfecta* non tantum in *ratione materiae voti promissæ*, sed etiam in *ratione voti*: potest autem dari votum circa materiam reservatam, quin sit perfectum, vel in *ratione*

voti, vel in ratione materiae voto promissae; ergo. Nam qui vovet castitatem *solum conjugalem*, vel non servare *omnimodam castitatem* sed tantum *ad tempus*, facit votum circa materiam reservatam, sed non perfectam. Haec enim debet esse castitas perpetuo interdicens omnem usum Venerum, etiam conjugibus licitum. Deinde, votum *in ratione voti perfectum est*, quando vovens directe, & ut finem intendit cultum Dei. Nam votum proprie est a Deo Religionis; sed hoc non habet vovens, qui constitutus in gravi periculo mortis ex morbo, vel naufragio, aut pugna, v.g. Religionem vover, si DEUS tali periculo salvum eripiat. Tunc enim ad finem hunc temporalem votum habet solum rationem medij; ergo. sed de his ex professio alibi egimus in praeceptis primae tabulae.

112. Praeterea not. 1. quamvis super voto castitatis perpetuo, & simplici, solum impediens matrimonium, nullus praeter Summum Pontificem, possit auctoritate ordinaria dispensare (cum sit unum ex votis reservatis Sedi Apostolicae; ut cum communi tenet Lessius *de Justitia l. 2. cap. 40. dist. 18. num. 122.* & in facultate a Pontifice alicui generaliter concessa, dispensandi super votis, nunquam comprehendantur vota castitatis, & Religionis, cum haec a principio nascentis Ecclesiae ipsi Pontifici reservata sint, teste Sanchez *l. 8. d. 9. n. 2.*) hoc tamen intelligendum esse, si tale votum sit *perfectum tam in ratione voti, quam materiae voto promissae*, ut diximus n. praeced.

116. Not. 2. Episcopum, ex consuetudine iam inducta, & recepta, dispensare posse in debiti petitione, cujus privationem quis incurrit, contra votum, etiam reservatum ineundo matrimonium, non tantum post illud consummatum, sed etiam ante, sit tantum ratum; ita Sanchez *lib. 8. dist. 20. n. 6.* & ex illo de Justis *l. 2. c. 14. a n. 82.* & diximus n. 2059.

117. Not. 3. cum aliquando contingat, quod conjuges, etiam consummato matrimonio, de mutuo consensu emittant votum castitatis perpetuae deinceps observanda, sed postea vel ambos, vel unum eorum poeniteat emissi talis voti; quae

ri, an in ejusmodi voto Episcopus dispensare cum illis possit ad usum matrimonij, caeteroquin voto interdictum? Res. posse, si ambo de mutuo consensu cedant juri, quod acquisierunt, renuntiando juri ad usum conjugalem vi matrimonij concessio; non autem, si secus: Ratio est, quia, cum, ut dictum est, Episcopus ex consuetudine jam recepta dispensare possit in petitione, ac redditione debiti cum ijs, qui contra impedimentum tantum impediens contraxerunt, nec in dato casu fiat praedictum uni conjugum, supposita tali cessione mutua (quod non esset, si unus cedere noller rationabiliter) non est, unde in hoc casu limitetur Episcopo potestas consuetudine legitima obtenta. V. Sanchez *l. 9. hic d. 38. n. 3.*

Not. 4. eum, qui post *votum Religio-* 2128.
nis, etiam reservatum, valide, sed illicitè contraxit, & consummavit matrimonium, non indigere dispensatione, ut durante tali matrimonio licitè petat, vel reddat debitum; Sanchez *cit. d. 33. num. 15.* Layman *l. 5. rr. 10. p. 4. c. 3. n. 6.* quia, habens votum Religionis ingredienda, nondum habet votum castitatis emissae; sed tantum obligationem emittendi; ubi in Religione, quam vovit, profitebitur, obligatione tamen interim suspensa, dum durat hoc matrimonium.

Ut dispensatio in ejusmodi voto simplici obtineatur, pro causa dispensandi afferri possunt, si adsint, una vel plures causae, quas a n. 2070. receptas diximus, ut dispensetur inter consanguineos, & affines. Accedit quod ad hoc videatur causa sufficiens qualibet, quae obstat executioni talis voti, si voto simplici ligatus, ratione aetatis, vel aliarum circumstantiarum sit in morali periculo incontinentiae; vel sine connubio subiret gravia damna, &c. ad quod maxime conducet exponere, quo fine, vel in qua circumstantia, in qua aetate, &c. &c. votum emissum sit? haec enim omnia juvant ad facilitandam dispensationem, praesertim si votum conceptum sit ex fine solum temporali, in aetate ut plurimum facili, non praemissa tanta deliberatione, &c. V. Castropal. *de sponsal. d. 4. p. ult. q. 2. n. 3.*

2130. Si autem fermo sit de voto solenni, cum istud sit de substantia status Religiosi, & Regularis, non autem status Clericalis etiam Clericorum in sacris, ut jam supra dictum est, utrumque autem tali voto ligatis præster impedimentum dirimens, non jure naturali, aut divino positivo, sed solum Ecclesiastico, ut dictum est superius, rectè sequitur, dispensari posse jure Ecclesiastico, ut dicemus infra. Eo tamen casu, volens dispensari in voto castitatis solenni juxta id, quod tradit de Justis l. 1. c. 4. n. 185. *Q. si Religiosus, explicare teneretur provenientiam, an ex voto in susceptione ordinis sacri, an Religiose professionis emisso?* quia sunt diversa vincula matrimonium dirimentia; ita ille, sed fortè rectius, si dicatur, quòd votum professi dispensatum, cum solvat statum, indigeat gravioribus causis.

§. III.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento cognationis spiritualis?

2131. Cognatio spiritualis est impedimentum dispensabile jure humano, cum sit juris tantum Ecclesiastici ex n. 1088. Est impedimentum fortius cognatione carnali, c. Pictarium 30. q. 3. sic glossa in c. 1. de cognat. spiritit. in 6. V. spiritualem. & constat ex textu, ibi: *cum ergo propria consanguinitate jubemur abstinere, multo magis à spirituali* &c. In compaternitate tam simplici, quam duplici facile dispensat Pontifex, existente juxta causam, qualis est angustia loci, dos incompetens &c. de quibus à n. 2062. imò etiam leviori, quam sint illæ; sic de Justis cit. l. 2. c. 5. n. 72. In impedimento autem ex Paternitate spirituali, sæpe vel denegatur, vel difficilimè, ac non nisi cum multis modificationibus conceditur; imò Sanchez l. 8. d. 24. n. 15. testatur, se nunquam audivisse, vel legisse, fuisse dispensatum in Paternitate spirituali. Et quamvis Pontius l. 8. c. 17. n. 18. referat unum casum hujus dispensationis factæ; subjungit tamen, matrimonium subsecutum infelicem exitum habuisse; res fundatur in reverentia, quam filius spiritualis matri, aut filia Patri suo spirituali debet; cum hæc propinquitas fundetur in Sacramento. Si ta-

men essent causæ valde urgentes eam concedendi, non negaretur; & in expeditione dispensationis servaretur de stylo, quod servari solet in dispensatione super primo & secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu, cum iisdem clausulis, & qualitatibus, de quibus infra à n. 2139. Ex hoc colliges, quòd causæ, quæ sufficienter pro dispensatione in remotiori gradu consanguinitatis, vel affinitatis, in dato casu non sufficiant, sed exigantur majores, mirum tales, quæ requiruntur ad impetrandam dispensationem in gradibus propinquioribus.

Not. autem 1. Si inter cognatos spiritualiter, qui super hoc impedimento dispensari cupiunt, præcessisset copula, non esse de necessitate in supplicatione exponendam, nisi facta sit animo sibi eo titulo facilitandi dispensationem; vel allegatur pro causa motiva dispensationis impetrandæ, ut diximus à n. 1166. Not. 2. in supplicatione dispensationis, de necessitate exprimendam esse. 1. *provenientiam hujus cognationis* v. g. quòd orator orationis prolem, ex alio viro susceptam de Baptismo suscepit, vel in sacramento confirmationis tenuerit. Negativam tamen apud Gobat tr. 9. n. 622. sequitur Tamburinus de matr. l. 8. tr. 2. c. 9. §. 6. n. 1. quòd utraque sit ejusdem omnino rationis, sicut duæ cognationes carnales, quarum una ex virili, altera ex muliebri sanguine provenit. Sed contrarium rectius dicitur; nam per baptismum, non autem per confirmationem fit regeneratio; ergo diversa sunt, & signo, & re significata. 2. Exponendum est, si dispensatio petatur in compaternitate, an ea sit simplex, vel duplex? ut si Titius prolem Casæ, & Casæ Titij, de sacro fonte suscepisset; sic enim compaternitas foret duplex, de quo de Justis l. 2. c. 5. n. 72.

Not. 3. quòd Executor dispensationis non possit admittere causam in literis, seu mandato non expressam; cum non possit excedere limites mandati; & rescriptum, seu mandatum sit stricti juris; nec extendi possit ad non expressa; & tantum dumtaxat valeat, quantum sonat. sic Corradus l. 7. c. 5. n. 56. ex c. fin. de Rescript.

Si quæras, an cesset dispensatio, quando cessat penitus causa finalis, ex qua ipsa procedit? Bz. cum distinctione: Nam vel dispensatio

dispensatio est jam actu applicata petenti aut immediatè à Principe, aut ex ejus mandato, aut facultate à commissario, puta Confessario, aut alio quolibet: aut certè nondum est actu posita dispensatio, sed tantum obtentum est rescriptum, & facultas ut fiat v. g. obtentæ sunt litteræ, quibus mandatur Confessario, aut Episcopo facultas, dispensandi in voto castitatis aut religionis, impedimento consanguinitatis, irregularitatis ad ordines, nondum tamen revera commissarius ille dispensavit.

1135. Igitur quamdiu est veluti suspensa dispensatio, & nondum actu concessa, seu quamdiu est in actu tantum primo, si causa finalis cesset, cessat quoque ea dispensatio, hoc est, vera facultas dispensandi definit in commissario, neque suum effectum habere potest: quia ea dispensatio injusta omnino esset: atqui præsumendum non est Principem dedisse facultatem commissario dandi dispensationem injustam, quam neque ipse concedere vellet: faciet igitur commissarius præter concessam facultatem, si dispenset, ac proinde invalidè dispensabit.

Hujus ulterior ratio est; quia in litteris ejus modi indultorum imperatur prævium examen, ut nimirum dispenset commissarius, si preces veritate nitantur: si tamen impedimentum hujus facultatis exercendæ temporarium tantum esset, & causa finalis, quæ cessaret, iterum rediret, posset Commissarius tunc dispensare; quia cessante causâ fuit tantum legata facultas Commissarij, & non penitus destructa, nisi medio illo tempore fuerit revocata, ut nuper quoque dicebamus de eo, qui per factum impossibile cum usu dispensationis, videtur renuntiasse facultati illâ utendi, sublato enim eo impedimento, licitè ea utetur. Hæc autem cessatio causæ debet esse contraria, & non negativa, ita ut nimirum jam fiat illicita dispensatio, ejusque usus. Suarez l. 8. c. 30. n. 12.

1136. Si autem dispensatio non sit ampliùs in fieri, sed in esse consummato (quia nimirum concessa est actu ipso, & subditus revera dispensatus) non cessat etiam cessante causâ finali; v. g. dispensatum re ipsa est cum femina, ut nuberet consanguineo, defectu dotis, quâ possit honestè extraneo suæ nobilitati conformiter collocari; in-

terea, dum parantur inter hos consanguineos nuptiæ, obvenit pinguis hereditas huic feminae ante matrimonium initum; potest vi dispensationis, nomine dotis insufficientis concessæ, nubere suo illi consanguineo. Idem dico de dispensato in irregularitate ad ordines suscipiendos, si antequam eos suscipiat obtentâ jam dispensatione, causa concessæ dispensationis definat; ita Suarez lib. 6. de Legib. d. 20. n. 15. Sala. d. 20. n. 67. Emman. Sâ vers. Gratia, n. 6. & 10. Rebuff. tract. in reg. constit. tom. 2. præfat. n. 56. Mascard. de probat. concl. 178. Tiraquell. cessante causa, cessat effectus, limit. 22. n. 92. & 94. contra Sanchez lib. 3. de matr. d. 20. n. 14.

Hujus ratio est; quia dispensatio jam habuit suum effectum, nempe ablationem vinculi, qui proinde non pendet à causa illa, à quâ fuit productus, alioquin idem de effectu remoto diceretur. Nam qui suscepisset ordines re ipsa ex dispensatione, cessante causâ ejus, abstinere deberet à ministracione, nam usus ordinum, etsi remotior sit effectus dispensationis, quam ipsa susceptio, æquè tamen pendebit à causa dispensationis, atque ipsa susceptio, quæ non est effectus proximus, sed ipsa relaxatio vinculi, quæ ubi semel apposta est, & ablata obligatio legis, non est cur redeat, etsi causa, per quam sublata fuit, cesset: videmus enim etiam in naturalibus plerosque effectus non conservari à suis causis producentibus, quod frequentius esse in moralibus concedebat nuper ipse Sanchez.

§. IV.

An, & qualiter dispensari possit in Cognatione legali?

Impedimentum ex cognatione legali 2137. (de qua egimus à n. 1117.) est juris tantum Ecclesiastici per n. 1119. consequenter dispensabile. Cum autem inter cognatos legaliter in linea rectâ, Papa difficillimè dispenset, nec nisi ex urgentibus causis; cum solvi possit per emancipationem, qua hoc impedimentum in linea transversali tollitur, consequenter dispensatione tunc opus non sit, ut notat Rebuffus, in praxi dispens. regulâ de dispensat. in gradu prohib. gloss. 5. n. 25. illud solum notandum venit, in supplicatione pro

Uuu 3

hujus

hujus impedimenti dispensatione exponendum. 1. an veniat ex adoptione perfectâ, vel imperfectâ? propter dicta à n. 1120. Deinde, in quâ lineâ? ut sciatur, an in rectâ vel obliquâ; cum pro illa sit diversa consideratio, ac pro ista, ut præmissimus.

1238. Præterea not. 1. Si, qui legaliter cognati, contraxissent cum hoc impedimento, & consummâssent, de industria, ut hoc titulo facilius elicerent dispensationem; & intentionem, & copulam in supplicatione pro dispensatione illius impedimenti exponendam esse, juxta dicta à n. 1159. Not. 2. licet consanguinei scienter matrimonium contrahentes in gradu prohibito, incurant excommunicationem; id tamen non procedere de cognatis legalibus; quia super hoc nullum extat jus; & dispositio pœnalis, quoad consanguineos, extendi non debet ad casum similem, non expressum ex n. 1598. sic Pontius l. 7. c. 41. in fin. Not. 3. quod cognatio legalis, matrimonio superveniens, non impedit conjugibus usum conjugij; quia id nullo jure cautum est, ut notat Sanchez l. 7. d. 63. n. 19.

§. V.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex cognatione carnali, seu consanguinitate?

2139. Solus primus gradus consanguinitatis in lineâ rectâ, secundum communem, dirimit matrimonium *jure naturali*; reliqui autem omnes tam in lineâ rectâ, quàm obliquâ, sunt juris tantum Ecclesiastici ex dictis à n. 1190. adeoque ab Ecclesia dispensabiles; dixi *solus primus gradus in lineâ rectâ* v. g. inter Patrem, & filiam, vel Matrem & filium; nam primus gradus in lineâ collateralis, qualis est inter fratrem & sororem, est impedimentum juris tantum humani.
2140. In casu, quo aliqui petunt dispensari in impedimento consanguinitatis, in supplicatione necessariò exponi debet distinctè gradus præcisus, in quo conjuncti sunt oratores, ut cognosci possit, an causæ, quæ pro dispensatione allegantur, receptæ sint ad dispensandum in tali gradu; cum, ut dictum est, non sufficiat causa pro gradu propinquiori, quæ pro remotiori; ita

Sanchez l. 8. d. 24. n. 2. Ex hoc sequitur, si oratores essent cōsanguinei in lineâ inæquali, & gradus remotior esset ultra quartum, eos non egere dispensatione, quia carerent impedimento; hoc enim in ea lineâ solum præstat gradus remotior, si sit unus ex primis quatuor per c. final. de Consang. Et ideo, qui sunt Consanguinei in tertio, & quinto, vel in quarto, & quinto, sine dispensatione contrahere possunt. sic Corradus l. 7. c. 5. n. 61.

Secundò, etsi negent apud Gobat n. 9. n. 622. Pontius, & Leander, rectius cum Sanchez l. 8. d. 24. dicitur, exponendum esse, *in quâ lineâ sint conjuncti? an in rectâ, vel obliquâ?* eaque vel æquali, vel inæquali? Nam quando oratores sunt in lineâ inæquali infra secundum gradum (nam si sponsus sit consanguineus sponse in tertio gradu) sponsa verò sit stirpiti propinquior, exprimendus est gradus remotior, ut dispensetur (nam hic præstat impedimentum) & alter propinquior, sed solum, ut, non obtineat, declaretur. Sic si vicinior gradus non est primus, rectius negatur à n. 2147. infra; excipie casum, de quo n. 2142. Si autem essent in lineâ inæquali sic, ut remotior esset in secundo, alter autem in primo gradu, uterque exprimendus esset ex constitutione Pij V. anno 1566. die 26. Augusti. ut si quis vellet contrahere cum sorore sui Patris, vel Matris. Nam in his gradibus difficillimè dispensatur, propter singularem indecentiam; cum ipsæ personæ debeant eadem ferè licet non tanta reverentia, quam parentibus; ita Coninch, & alij apud de Justis l. 1. c. 4. n. 121. & 125. Et quamvis de Justis l. 1. c. 4. n. 177. doceat, quod in hoc casu quilibet gradus constituat impedimentum, verius tamen est, quod solus remotior ex n. 2140. ex c. fin. de Consang. nisi primus esset consanguinitatis in lineâ rectâ, propter constit. Pij V.

Tertiò, juxta Curiales exprimendum esse, an ea cognatio seu consanguinitas proveniat ex stirpiti *simplici*, nimirum uno tantum, vel *multiplici*, ut duplici, triplici. Contingit enim quandoque, quod oratores habeant non tantum unam personam, ex qua carnali propagatione primè descendunt, sed ex pluribus, ut notat Corradus c. v. 70. & 87. Unde sequitur non tantum in prædicto casu conjuncti

junctiones in primo, & secundo gradu, sed etiam si oratores sint conjuncti infra secundum gradum, exprimendam esse provenientiam consanguinitatis, dicendo v. g. eam conjunctionem provenire, quia oratrix est soror avia oratoris, ut vult de Justis *cit. n. 128*. Cujus rationem reddit Castropalaus de sponsal. d. 4. punct. ultim. §. 3. n. 1. Nam sic illa fieret subdita suo nepoti ex sorore, quod est contra reverentiam saltem politice, tali personæ debitam, ut dictum est, sed hoc solum procedit in casu n. 2141. Et hanc provenientiam exponendam esse etiam, cum petitur dispensatio in primo, vel primo, & secundo gradu affinitatis, exprimendo, an proveniat ex actu fornicario? vult Corradus l. 7. c. 3. d. n. 22. sed rectius negant Sanchez l. 8. d. 24. n. 25. Bonaacina de legibus d. 1. q. 2. p. 5. n. 18. juxta limitationes prædictas.

Præterea not. si in expressione graduum contingit error, v. g. si fuisset expressus gradus propinquior loco remotioris (& ambo sint in eadem specie impedimenti) valere dispensationem; nam hoc ipso, quod Pontifex dispense in propinquiori proposito per errorem, cum in eo saltem virtualiter (nimirum in virtute causarum, quas ut sufficientes recipit Pontifex) contineatur remotior ejusdem speciei, jam hic non est ignoratus, consequenter dispensatus a fortiori; ita Sanchez lib. 8. d. 24. n. 27. Pontius l. 8. c. 17. §. 5. n. 31. & alij, quod tamen non procedit, si loco propinquioris exprimeretur remotior ob rationem oppositam. Dixi, si sint in eadem specie. Hinc, si loco consanguinitatis, quæ est vinculum fortius affinitate, ista exprimeretur, dispensatio non teneret; sicut nec, si loco affinitatis exprimeretur consanguinitas, cum hæc sint diversa, & à diversis non fiat illatio. L. Papinianus Exul. ff. de Minor. sic de Justis l. 1. c. 4. n. 140. & seq. cum alijs. Aliud est, si proponeretur consanguinitas, vel affinitas alternativè, seu sub disjunctione, uti faciunt practici sollicitatores, quando ignorant impedimentum esse determinatè consanguinitatis, vel determinatè affinitatis. Nam tunc Pontifex intendit amovere impedimentum propositum, qualecunque sit ex expressis. Et eo casu sufficit in una specie verificari, juxta regulam in alternativis. 70. de Reg.

jur. in 6. ita Zerola in Praxi Episc. V. Rescriptum. §. 5. quod tamen non procederet, si esset, & consanguinitas, & affinitas ex natura particule copulativæ, quæ omnes partes exigit verificari; Corradus *cit. l. 7. c. 5. n. 73*; his positis:

Quæstio est. 1. an, si sit multiplex impedimentum unitus generis, omnia sint exprimenda? v. g. Vis dispensari ad ducendam Bertam tibi affinem ex copula fornicaria prius habita cum duabus ejus sororibus? an hæc circumstantia, quod cum duabus ejus sororibus, sit exprimenda? Negativam sequitur Henriquez l. 12. c. 10. & plures alij apud Sanchez l. 8. d. 24. n. 14. sed hic amplectitur affirmativam cum alijs, quos refert Gobat *cit. n. 619*. dicens, hanc opinionem sequendam propter horum auctoritatem in re tanti momenti; rationem aliam nullam afferens. Verùm juxta hunc auctorem ea circumstantia non videtur esse talis, cujus omisio vitiet rescriptum. Cum eodem num. in fine addat, nihil scrupuli habendum, si bona fide omisa est illa expressio. Nam si bona fides excusat ab invaliditate rescripti, eo ipso non pertinet ad substantiam formæ de necessitate servandæ in supplicatione, ut constat ex dictis. Deinde qui plures proles Titia levavit de fonte baptismi, vel pluries cognovit Bertam sororem Cajæ, non tenetur numerum prolium, vel copularum explicare, cum petit dispensari in cognatione spiritali cum Titia, vel affinitate cum Cajæ, cum omnia sint ejusdem rationis; & actus repetitio inducat tantum unam cognationem, ac affinitatem respectu ejusdem, ut concedit de Justis l. 1. c. 4. n. 100. ergo etiam in altero casu.

Quæstio est. 2. an sit validè dispensatus in tertio gradu consanguinitatis, omisa mentione secundi, si oratores taliter sint conjuncti in linea inæquali. Affirmandum videtur ex dictis à n. 2141. sed Gobat *cit. n. 619*. etiam in hoc casu respondet, nullum scrupulum habendum, quando juncti gradibus inæqualibus exprimentur solum distantiores; quia à parte rei non distant plusquam distet remotior ex c. fin. de consang. Et ideo P. Sanchez l. 8. d. 24. n. 26. rectè notat, non esse opus, ut in petenda dispensatione fiat mentio propinquioris gradus, & sic declarasse Clemencem

tem VIII. adeoque sufficere, si exprimitur remotior.

2146. Nec obstant, quæ in contrarium affectu Barboſa apud Gobat n. 602. dicens *Urbanum VIII. nuptias* (quas inierunt Antonius, & Francisca, dispensati in tertio gradu, sine mentione secundi, quo etiam tenebantur) dixisse, *nulliter. & de facto esse contractas, ac incestuosas*. Nam Urbanus non dicit hoc affirmativè sed *relativè*, referens sic existimasse Executorem mandati, qui erat officialis Toletanus. Deinde est Urbanus VIII. affirmasset, tamen eo sensu non esse receptum constat ex Gobat *cit. num. 622.* præsertim cum Pius V. ut testatur idem author *num. 261.* abrogaverit constitutionem Pauli IV. talia matrimonia habentis pro nullis.

2147. Dices: Pius V. statuit, ut, postquam sunt impetratae literæ dispensationis, non expresso viciniore gradu, supplicetur pro alijs, quibus declaratur, illam taciturnitatem prædicti gradus, nihil obesse valori impetratae prius dispensationis; ergo etiam viciniore gradus exprimendus est. R. ex hoc probari, stare valorem mandati etiam cum taciturnitate gradus viciniore; quod autem nihilominus peti debeat declaratio, quæ dicatur, *illam non obſtare*, non pertinet ad valorem mandati, & dispensationis factæ; sed tantum, si timeretur scandalum ex conjunctione Oratorum in eo vicino gradu non expresso, ei, pro foro externo, cavendo per declarationem, quod non obſtet, occurrendo; ita Perez d. 46. de matr. sect. 3. Dicastillo d. S. eod. d. 9. & alij. Unde quando Pius V. in sua constitutione ad Romanum Pontificem, in supplicationibus pro dispensatione jubet mentionem fieri non tantum remotioris, sed etiam propinquioris gradus, addens, quod eo non expresso nunquam dispensare intendat, expressè loquitur de casu, quo gradus propinquior est primus, nihil omnino dicens, *si sit inferior primo*: & circa hoc specialiter not. tunc solum exigi mentionem gradus primi concurrentis cum remotiori, quando remotior præstat impedimentum indigens dispensatione; non autem, si secus. Quare si qui sint ligati affinitate in primo & tertio gradu, orta ex copula fornicaria (cum in hoc casu tertius gradus nullum præſtet impedimentum) nullà primi gradus mentione,

quia nullà tertij gradus dispensatione opus est; sic Pyrrhus Corradus l. 7. c. 2. n. 27. Ubi advertit, hanc expressionem gradus primi juxta Conſtit. Pij V. solum pro foro externo necessariam esse, juxta Perez *cit. de matr. d. 46. sect. 5. n. 7.* apud Gobat *cit. n. 622.*

Quæſtio est. 3. quid dicendum, si oratores sincerè exponant suum impedimentum, & omnia prout debent, & Pontifex supplicationi annuat; contingat tamen, quod in rescripto commissus sit error ab officialibus, quibus incumbit expedire literas, quod scribant Oratores esse in tertio consanguinitatis gradu, cum ipſi ex vero, & sincerè dixissent, in tertio affinitatis gradu, an in tali casu valeat mandatum dispensationis? 2. an Executor, qui reperit in mandato tertium gradum consanguinitatis, & deprehendit in examine esse tertium affinitatis, possit mandatum exequi? maxime si de re, ut casus exponit, informetur, & exequi teneatur?

Ad. 1. videtur ex n. 2143. & seq. mandandum, quod valeat; sed contrarium dicendum est, quia in dato casu Pontifex propositum est impedimentum, quod in re est, & is in idem consensit; cum ei proposita sit supplicatio, quæ sincerè omnia exposuit. Sic Layman. l. 1. Theolog. mor. tr. 4. c. 22. n. 26. intentio enim concedentis, vel mandantis ab eo, in quod directè tendit, non debet detorqueri, sed executioni mandari, nisi aliud expresse appareat. c. susceptum 6. de rescript. in 6. ibi: *susceptum ab Apostolica sede mandatum, ut ab aliquo beneficij (quod obtinet) resignatione receptum, ipsum alteri conferat, & assignet, adimplere non potes, si illi antequam resignet, rebus eximatur honoris. Cum non per resignationem vacaverit; sed, per mortem; nisi de intentione mandantis aliud appareret expresse.* Neque huic resolutioni obstant dicta in num. 2143. ibi est diversus casus; nimirum ubi supplicantes non verè, sed unam pro alio impedimentum expresserunt falso, et si fortassis bonâ fide: at hic sincerè totum expositum est Pontifici, licet scribat, post consentum Papæ justè supplicationi datum, erraverint, nominando affinitatem pro consanguinitate, vel vicissim.

Ex hoc etiam resolvitur ea dubitatio super qua sapius interrogatus fui: an si

Oratores petant dispensationem in impedimento sincerè exposito, & ad impetrandam allegant *incompetentiam dotis ex parte mulieris, vel viri*, dispensatio valeat, si scribæ litterarum expeditionis errent in litteris mandati, ponentes incompetentiam dotis *ex parte mulieris*, cum Oratores verè ac sincerè dixerint: *esse ex parte viri*; cum in re esset ex parte mulieris? Nam in tali casu semper iudicavi, valere dispensationem, vel eius mandatum; cum supplicationi sincerè continenti omnia, qua in re, ac de iure, necessaria erant, Pontifici porrectæ, ac propositæ, consensus datus sit; quo casu ad valorem mandati, nihil exigitur amplius, ut constat ex *c. susceptum*, num. precedente; præsertim, cum talis error non veretur circa ipsos actus in dispensante, ac dispensando necessarios, qui ceteroquin vitari possent; & solum subsequatur mandatum legitime datum, quin inducat novum impedimentum. Et ideo Iudex delegatus, deprehendens, eum errorem non esse commissum, nisi ab officialibus, postquam supplicatio sincerè continebat omnia de iure requisita, ac ei Pontifex dato consensu mandatum dispensationis expediri voluit, debet illud exequi. Nam in casu mandati legitimi, & carentis vitio illud afficiente, delegatus Papæ tenetur parere. Ex quo patet ad. 2. in *n. 2148*.

Quæstio est. 4. quid, qui contraxerunt cum impedimento dirimente, si dispensari cupiant, exprimere teneantur in supplicatione? R. cum in dato casu varæ circumstantiæ concurrere possint (scilicet, quod contraxerint *scientes*, vel *ignorantes impedimentum*; quod *consummarint* ante, vel post illius scientiam; quod *omissis denuntiationibus*; quod *ex intentione facilioris dispensationis*) responsionem colligendam ex seq. quare notandum, quantum spectat ad ea, quæ exponi debent ratione impedimenti, quo laborant, deduci posse ex dictis *a. num. 2120*. & dicendis de reliquis impedimentis. Quod verò reliquis circumstantiis attinet, ex dictis constat, copulam habitam non esse de necessitate exponendam, si non allegetur, ut causa finalis, seu motiva, propter scandalum scilicet, vel infamiam (nisi dispensetur) exinde

Tom. IV.

verosimiliter orituram, ut dixi *a. n. 1166*. & tenet præter alios etiam Gobat *cit. num. 626*. plures pro eodem allegans.

Et quidem, si matrimonium *scienter, ac culpabiliter ommissis denuntiationibus contractum est in gradu prohibito* (intellige juxta *n. 710*.) & *copula subsæcuta*, etiam *scientia* exponi debet in casu, quo copula exponitur tanquam causa motiva dispensandi. Nam ut constat ex supra dictis, jus expressè statuit, ut tales careant spe dispensationis, quod juxta *num. 1168*. denotat esse circumstantiam de iure explicandam, quod etiam procedit in eodem casu, si contractum est in ijs circumstantiis cum ignorantia impedimenti propter dicta *n. 710*. Et hoc locum habet non tantum in casu, quo tale matrimonium consummatum est sine intentione facilitandi titulo copulæ habitæ dispensationem; sed multò magis si cum hac expressa utriusque intentione; sic cum communi Castropalaus *d. 4. de sponsal. p. ult. §. 3. n. 9*. dicens certum esse; quia talis intentio facit, ut careant spe dispensationis juxta *num. 697*. consequenter quod sit circumstantia de iure exponenda juxta *num. 1169*.

Huic tamen casui duplicem reperio limitationem adhiberi ab authoribus; prima est, ut non procedat, si tantum unus sponсорum habuit illam intentionem eo titulo facilitandi dispensationem, nec alteri manifestavit, ne innocens alterius culpam luat; sic Gobat *cit. tr. 9. n. 626*. citans pro se P. Sanchez *d. 25. n. 31*. Altera est, ut non procedat, si ea intentio non sit manifesta, sed tantum internè concepta; cum merè interna humanæ potestati non subdantur. sic Castropalaus *cit. n. 9*.

§. VI.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento criminis;

Cum hoc impedimentum sit juristan- tum Ecclesiastici per *n. 975*. est dispensabile ab Ecclesia; si oritur ex occisione alterius conjugis, præsertim facta per venenum, teste Corrado *lib. 8. c. 9. num. 10*. etiam per Penitentiarium, vel negatur, vel cum maxima difficultate conceditur propter gravitatem delicti; ex quo colliges, hoc impedimentum revera statui in penam criminis ex intentione legis;

Xxx

legis;

legis; licet Legislator etiam intendat per hoc ipsum securitatem conjugum, qui est finis extrinsecus legis. Caterum in supplicatione pro impetranda dispensatione in huiusmodi impedimento explicari debet, an oriatur ex machinatione, vel adulterio, aut ambobus: ita de Justis *cit. l. 1. c. 4. n. 188.* qui in seq. addit, si idem crimen sapius foret repetitum, de necessitate faciendam mentionem in supplicatione secundae petitionis, post impetratam dispensationem super crimine priori; eo quod crimina repetita semper difficiliorem reddant Pontificem ad dispensandum. Et hoc intelligi vult, si repetitum est *idem genus criminis* v.g. adulterium cum fide data; sed, ut hoc procedat, stylo id exigente (nam ex natura rei non est opus, cum, *aliis deliquisse, & gratiam obtinuisse*, sit qualitas extrinseca rei, de qua agitur) stylus in eo, quod exigitur, debet esse talis, qualem cum esse oportere, ut non observatus dispensationem vitiet, diximus à n. 1169. & seq. 2099. ac 2119.

§. VII.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex disparitate Cultus?

2155. Hoc impedimentum, de quo egimus à n. 1059. est juris tantum Ecclesiastici secundum dicta n. 1060. & docet Tolet. in *instruct. Confess. l. 7. c. 11.* & Sanchez *l. 7. de matr. d. 71. n. 8.* Ut in eo dispensatio concedatur, urgentissimae requiruntur causae, & rarissime datur, ut colligitur ex *c. Cave. 28. q. 1.* & docet Layman *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 1.* cum alijs. Si autem fidelis iniret matrimonium cum baptizato, sed proficiente actu Judaismo, aut Paganismo, *valide* quidem ageret, sed non *licite*; cujus ratio quoad primum est, quia non esset matrimonium inter non baptizatos, consequenter laborantes hoc impedimento dirimente ex n. 1059. quoad secundum autem, quia periculum perversionis, quod impendit fidei ex tali connubio, id graviter vetat.

Si autem baptizatus, Apostata à fide, & Paganismo, vel Judaismo actu professus infideli nuberet, invalidum esset matrimonium; quia ille non obstante apostasia, cum revera baptizatus sit, ma-

net ligatus legibus Ecclesiae matrimoniorum subditorum irritantis cum non baptizatis; sic Navarr. in *summa c. 22. n. 49.* Coninch. *d. 31. hic d. 3. n. 43.* de alijs; ad impetrandam autem dispensationem in hoc impedimento *provenientiam* ejus exponere sufficit; sed causae, ut dictum est, non nisi gravissimae sufficiunt, quales sunt conversio alicujus regni, vel provinciae, aut alia magnae considerationis emolumenta in Ecclesiam, aut domum graviter merita de illa, ex illo conjugio redundatura.

§. VIII.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex vi, vel metu?

Quando vis vel metus jure naturali dirimit matrimonium, dispensatio in Ecclesia fieri non potest; ubi autem dirimit jure solum Ecclesiastico, necessaria non est; cum per ipsos metum passos vitium purgari possit, rejecto metu consentiendo spontaneè in personam, à quam antè nulliter, nempe coacti, consenserunt; sic enim prius matrimonium validum evadet, saltem ex tempore dati consensûs absque metu, propter cuius praesentiam, & influxum antè nullus erat; sed ex hoc oritur difficultas, an in dato casu volens revalidare matrimonium, prius nullum ex defectu sui consensûs, ad matrimonij substantiam requisiti, & praestare consensum spontaneum, *de necessitate debeat alteri prius manifestare* nullitatem matrimonij, & de matrimonium novo utriusque consensu revalidare? vel sufficiat, eum, qui prius deficit, consentire noviter alterius consensu adhuc moraliter perseverante; vel utrumque renovare consensum, si prius nullus fuisset? Circa praesentem quaestionem jam egimus à n. 526. cum seq. & resolvimus ad revalidationem matrimonij nulliter contracti, ex defectu consensûs in uno, non requiri in altero absolutam notitiam de nullitate matrimonij, proveniente ex consensu invalido propter impedimentum in altero, puta, qui fuit vitiosus ex metu dirimente.

§. IX.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex Ordine?

117. Cum ex Ordinibus minoribus nullum nascatur impedimentum matrimonij, sed tantum ex ordine sacro; id autem sit juris tantum Ecclesiastici, ex dictis à n. 938. rectè sequitur, ubi iuxta dispensandi cause fuerint (quæ nimirum etiam in tali casu dispensationem justè exigunt) eam omnino ab Ecclesia concedi posse, sed aliter pro Clericis non regularibus, aliter pro regularibus, seu Religiosis. Hi enim eâ dispensatione in voto solenni castitatis liberantur à statu regulari; non isti, ut jam supra diximus, in *tit. 6. à n. 938.* Et quidem cum Clerico in sacris non regulari, posse dispensari, ut valide, ac licite ineat matrimonium, tenet etiam D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 11. quia debitum continentia non est essentialiter alligatum ordini sacro; sed ex statuto Ecclesiæ; at in hoc dispensare potest Pontifex, nimirum Legislator in lege sua, ergo.

118. Cum Religioso non æquè omnes admittunt, posse dispensari in voto continentia, quod emissum est in professione. Nam licet D. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. a. 4. *quæstionum*. 1. ad. 3. probabiliorum iudicaverit opinionem eorum, qui admiserunt ob causam communis utilitatis posse dispensari in voto solenni Religionis: ut notat de Justis lib. 3. c. 15. in *Appendic. num. 2.* postea tamen in 2. 2. q. 88. a. 11. aliter dicendum existimavit. Et ideo nunc Thomistæ communiter negant, cum Religioso Professo dispensare posse Pontificem ad contrahendum matrimonium; ut notat Capizucchus *Controv. 11. de voto solenn. q. unic.* dicens, quod cum hac sententia transeat communiter Thomistæ, qui in hac re Thomistarum nomine digni sunt, addens: hanc sententiam procul dubio non solum saniores esse, & certiores, verum etiam, ut ipse credit, tenendam.

119. Verum multò probabilior est sententia affirmantium, etiam in hoc casu posse Pontificem dispensare ex causa communem utilitatem concernente; ita communiter Doctores alij, Theologi, &

Tom. IV.

Canonistæ, ut testatur Fagnanus in *c. Cum ad Monasterium, de statu Monachorum à n. 56.* Nam votum castitatis emissum in professione non habet vim dirimendi matrimonium, nisi in quantum est solenne, solennitate ex Ecclesiæ constitutione inventa, ut probatum est à n. 971. certum autem est, quod hanc constitutionem omnino tollere possit Pontifex, cum ipse sit ejus conditor; ergo.

Nec obstat textus *cit. c. Cum ad Monasterium*, ubi dicitur: quod custodia castitatis adeo est annexa Regule Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit indulgere; cujus capituli authoritati S. Thomas innixus, mutavit opinionem suam priorem, de qua num. 2. 57. ut testatur de Justis; quod utique non fecisset, si eo tempore, quo scripsit Sanctus Doctor, habuisset notitiam de eo, quod tam aperte resolvit. Bonifacius VIII. (de quo supra n. 971.) nimirum, hoc impedimentum nasci ex solennitate, & hanc ex sola Ecclesiæ constitutione. Non, inquam, obstat textus illius *c. quia*, licet Monacho, manenti Monacho, & salvo statu Monachali in eo, Pontifex non possit indulgere aliquid contra custodiam castitatis (impossibile enim est, fieri licitum, pro sensu composito voti illud ipsum actu reddentis illicitum) potest tamen indulgere pro sensu diviso, seu per dispensationem voti, sublato statu talis Monachi, ut diximus sæpius. Cum enim votum castitatis sit de substantia status Religiosi, sublato tali voto per dispensationem, tollitur status. Certum autem est, quod Pontifex possit solvere statum Regularem, in aliquo subiecto, id solvendo a votis; ergo: sed his plura dedimus à n. 971. & seq.

Illud not. si justa causa foret concedendi dispensationem ad matrimonium Clerico in sacris, in supplicatione non sufficere, dicendo: ipsum esse in sacris; sed specificandum, an sit Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus tantum? ut notat de Justis lib. 1. c. 4. num. 185. citans Filiuc. Trullenek, & alios; inter causas autem allegari solet conservatio illustris familiae, præsertim plurimum merita de Ecclesiâ, alioquin extinguenda; magna

XXX 2

magna

magna utilitas concernens bonum commune, etiam si non tendat proximè, ac immediatè in bonum commune; & ad hunc finem etiam imperatoris intercessio pro justa causa dispensandi deservire potest, ut liquet ex dispensatione Alexandri VIII. 1690. 14. Januar. cum Subdiacono magnæ familiæ cateroquin extinguendæ, ut habetur apud Vincent. de Justis in *cit.* *Appendic. n. 31.*

§. X.

An & qualiter dispensari possit in impedimento ligaminis?

2162. Quæstio fieri potest solum circa matrimonia *fidelium rata tantum*, sed nondum consummata; in hoc impedimento complures sunt, qui negent, etiam summum Pontificem dispensare posse, quòd sit juris divini, ut diximus supra à n. 1621. Sententia tamen probabilissima est, Pontificem in his dispensare posse, ut soluto etiam conjugali vinculo validè, ac licitè à taliter solutis matrimonium aliud iniri possit. de quo egimus à n. 1611. Non est dubium has dispensationes non facile impetrari, nisi ob causas urgentes. Inter has autem causas numerant auctores morbum contagiosum supervenientem, gravia scandala, magnam conjugum disparitatem, conjugum constantem aversionem ab invicem, conservationem pacis, vel magnæ familiæ, etatem conjugum adhuc teneram &c. de quibus de Justis *l. 2. c. 10. à n. 21.* ex P. Sanchez *l. 2. d. 16.* & alijs; quamvis aliqui censeant, ut diximus loc. cit. non requiri causam, quæ concernat bonum publicum. *V. n. 1618. in fine.*
2163. Ejusmodi dispensationem in matrimonio rato tantum, ut, eo quoad vinculum soluto, conjuges fiant liberi ad aliud matrimonium, concedi etiam posse à majori poenitentiario, sed solum in occultis, docet Corradus *l. 8. c. 7. n. 35.* quem citat & sequitur de Justis *l. 2. c. 10. n. 18.* ubi num. sequenti exemplum talis dispensationis factæ refert cum muliere, quæ cuidam juveni nupsit, & matrimonio cum hoc non consummato, alteri præmissorum ignaro, cum quo consummavit susceptâ prole, primo viro non amplius reperibili, & secundo matrimonio, nisi dispensarentur, absque gravi periculo non continuabili.

Circa hoc impedimentum ligaminis not. cum frequenter contingat, quòd quidam, *ligati vinculo conjugij*, relicto suo conjugè, se transferant ad alias terras, ubi sint ignoti, & ibi se liberos, ac solutos mentientes, aut vinculum sui conjugij diffimulantes, aliud matrimonium factò sacrilego ineant; per sacram Congregationem Generalis Inquisitionis de urbe anno 1637. omnibus locorum Ordinarijs mandatum, ac interdictum esse, ne in suis civitatibus, ac diocesisbus permittant fieri denuntiationes matrimoniorum, quæ contrahi deberent à Forensi, nisi Parochi, ad quem spectat matrimonio assistere, constet per authenticam fidem Ordinarij ipsorum Forensium, *de istorum statu libero*; ipsi Ordinarijs præscriptâ formâ, ut, antequam dicti status liberi fidem faciant, testes fide dignos examinent, qui ex certa scientia statum liberum contrahere volentium affirmant secundum tenorem instructionis pro hoc examine faciendo, datæ ab ipsâ sacra Congregatione cit. quam refert de Justis *cit. l. 2. c. 9. n. 19.*

Unde not. 2. quando est casus necessitatis (ut si aliquis ex contrahere volentibus sit in articulo mortis) non requiri, ut servetur præfate instructionis formâ, si tempus non patitur; esto, si infirmus convalesceret, aliud dicendum; antequam cohabitare permittantur; sic Corradus *supra cit. l. 7. c. 6. n. 23.* dicens, sic declaratum ab ipsâ sacra Congregatione. 2. Illam Ordinarij attestationem, ut jacet, non requiri pro Exteris, seu Forensibus, qui tempore adhuc non nubili discesserunt, & pervenerunt ad locum, ubi nunc contrahere volunt, si ibi continuo permanserunt. 3. Requiri tamen, licet tales Exteri per decem annos, & ultra, in tali loco, ubi contrahere volunt, domicilium acquisiverint, ut eorum liber status probetur per testes fide dignos, tam originis, quam domicilij. 4. Esto unicam, vel plures uxores duxerint, eæque ibi, ubi contrahere vult exterus, mortuæ sint, nec post hoc à dicto loco recesserit. Verum propter multiplices difficultates, quæ nascuntur in observanda illa instructione, in plurimis Curijs etiam de consensu sacre Congregationis plurimum restricta est, ut notat de Justis *cit. l. 2. c. 9. n. 28.* & merito, præsertim quoad postrema duo. Unde in hoc

hoc servanda erunt, quæ usu dicecesano in quolibet loco præscripta sunt.

§. XI.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento publicæ honestatis?

1165. Etsi Ecclesia judicaverit ad justitiam, & honestatem publicam, quæ servari debet in contrahendis matrimonijs, spectare, ne sponsus in uxorem habeat consanguineam suæ sponsæ, vel hæc in virum sui sponsi consanguineum, ac propterea, statuerit, ne inter personas, taliter propinquas, matrimonium validè contrahi possit sine Ecclesiæ dispensatione: cum tamen juxta frequenter causæ intervenire possint, quæ illi bono, quod ceteroquin ex observantia illius justitiæ publicæ provenit, prævaleant; non est dubium, in hoc impedimento, quod est juris tantum Ecclesiæ, ab Ecclesia dispensari posse. In supplicatione porrò pro impetranda dispensatione in hoc impedimento, exponenda erit. 1. *provenientia*, nimirum an sit ex sponsalibus solum de futuro, an de præsentibus, seu matrimonio, rato tantum? hoc enim extendit se ad plures gradus, quam illud, ut constat ex dictis à n. 223. & illud est vinculum fortius isto, teste Corrado l. 3. c. 7. n. 23. Exponendum erit. 2. *in quo gradu?* si provenit ex sponsalibus de præsentibus, seu matrimonio rato tantum; si autem ex sponsalibus de futuro, cum in hoc non extendatur ultra primum gradum ex dictis à n. cit. satis erit dicere: *Oratores laborare in impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus de futuro.*

2166. Unde not. ex sponsalibus de præsentibus non consummatis, atque adeo ex matrimonio rato tantum, non nasci *proprie affinitatem*, cujus ratio est ex eo, quod hæc supponat copulam; sed tantum *impedimentum publicæ honestatis*, quod non admittit, ut unus sponforum in conjugem habeat alterius consanguineum; improprie tamen, etiam à dataria illam propinquitatem appellari affinitatem, sed solum inchoative, ut notat Corradus cit. l. 8. c. 7. n. 18. & seq.

2167. Not. 2. quando inter Oratores est impedimentum affinitatis ex licita copula, non esse necessariam specificam mentionem impedimenti publicæ honestatis, esto

inter ipsos natum sit; quia declarando, quod velit accipere illam, quæ sui consanguinei prius uxor fuit, sufficienter exponitur impedimentum publicæ honestatis; nam si fuit uxor, fuit etiam ejus sponsa; secus tamen est, si concurrat cum affinitate ex copula fornicaria; ut, si orator velit ducere mulierem, sponsam fratris defuncti, ante matrimonium ab ipso cognitam; ita Sanchez l. 8. d. 24. à n. 36. quia talis affinitas illegitima non infert fuisse inter eam mulierem, & defunctum sponsalia.

Not. 3. in explicatione graduum, 2168. quando sunt *in linea inæquali*, sufficere, quod exponatur gradus remotior, qui constituit impedimentum, etiam omisso propinquiori, qui non constituit impedimentum in distantibus inæqualiter. Nam esto Pius V. (ut notavimus supra) voluerit explicari *primum gradum*, quando distant inæqualiter oratores v. g. in primo & secundo; vel primo & tertio, aut quarto: loquitur tamen solum *de impedimento consanguinitatis & affinitatis*; non autem alio, consequenter casus iste, relinquatur sub dispositione juris communis, vi cuius sufficit sola expressio gradus dispensandi, nimirum remotioris inter inæqualiter distantes ex n. 2140. ita Corradus l. 8. c. 7. n. 24. & sanè.

Et quamvis aliqui existiment, quod saltem in casu distantium inæqualiter v. g. in secundo & tertio, vel quarto gradu affinitatis, aut consanguinitatis, etiam exponi debeat gradus propinquior, quando persona in gradu propinquiori respectu distantioris haberet rationem reverentiæ ab hac sibi debitæ v. g. foror aviæ respectu inferioris, ut notavimus supra. id tamen in præsentibus casu necessarium non videtur; cum nec primus gradus sit de necessitate exponendus, ut dictum est.

Not. 4. etsi juxta complures, de quibus 2169. diximus à n. 206. ex sponsalibus de futuro, mutuo consensu dissolutis, non remaneat hoc impedimentum; si tamen Oratores, secuti sententiam contrariam peterent in eo dispensari, si non de necessitate, saltem ad facilitandam dispensationem, exponendum esse, *quod proveniat ex sponsalibus, mutuo consensu rursus solutis*, ut docet Corradus cit. n. 25. qui etiam notat n. 22. ex stylo communiter exprimi,

Xxx 3

perfo-

personam, qua mediante hoc impedimentum contractum est, ab humanis discessisse, si ita est; consequenter etiam oppositum, si adhuc vivit: in executione tamen mandati movere non debet horum doctrina in allegato solum, & non probato stylo juxta dicta n. 1169. & 2099. & 2119.

2170. Rationes porro, quæ ad impetrandam in hoc impedimento dispensationem sufficiant, eadem propè sunt, quæ cum supplicatur in dispensatione in gradibus consanguinitatis, & affinitatis, ratione tamen habitâ in hoc casu sicut in illo, majoris vel minoris propinquitatis; de quibus Corradus cit. n. 21. facilius tamen in eo dispensatur, si oritur tantum ex sponsalibus de futuro; quam, si ex matrimonio rato; cum hoc sit fortius vinculum, ut dictum est; ita Sanchez l. 8. d. 24. n. 16. & ideo in hoc, quàm in illo casu, majores causæ dispensandi exiguntur; sic de Justis l. 2. c. 8. n. 57.

§. XII.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex affinitate?

2171. Hoc impedimentum dirimit matrimonium jure solum Ecclesiastico, in quacunque sit linea, vel gradu ex dictis a n. 1231. consequenter est dispensabile ab Ecclesia ex ipsdem proportionaliter causis, ex quibus impedimentum ex consanguinitate. Cum autem dispensatio in gradibus affinitatis reguletur, ac si peteretur super consanguinitate, ut notat de Justis l. 2. c. 6. n. 60. quæ dicta sunt de hac, proportionaliter intelligenda veniunt de illa in supplicatione exponenda; de Justis tamen addit: cum datur dispensatio in affinitate, requiri majores causas, & solvi duplicem compositionem; seu taxam, cujus rationem videtur dare n. 59. ut Oratores, gravioribus expensis affecti, retrahantur à petitione hujusmodi dispensationis: sed in hoc suspendo meum judicium; cum non videam, cur in hoc impedimento aut publice honestatis, eo titulo id fiat; cum sit minus vinculum, quàm multa alia, & ipsa etiam consanguinitas.
2172. Illud not. etiam in hoc casu ab Oratoribus exponendam esse provenientiam affinitatis, nimirum an ex copula licita, vel

fornicaria? sub qua venit omnis copula non conjugalis. Nam quando in Curia Romana fit mentio de affinitate (nisi alibi addatur) intelligitur de ea, quæ sit orta ex copula licita, non illicita; sic de Justis cit. à n. 93. qui n. 95. addit, pro dispensatione super affinitate ex copula illicita, non solvi compositionem; sed dari litteras clausas, & quoad expeditionem tantum taxari, ac si essent aperte; sed hoc rariùs est, cum in hoc casu, ad declinandam infamiam, ubi talis affinitas, ut communiter solet, occulta est, petatur dispensatio à Sacra penitentiaria.

Not. 2. qualiter diximus à n. 2139. in consanguinitate, cum est inter distantes æqualiter, exprimendum esse, gradum etiam propinquorem, si est primus, in dicendum pariter in affinitate; quia constitutio Pij V. etiam de hac expresse loquitur. Hinc si sit casus, quo queritur, an Titius, qui fornicariè cognovit Bertam & postea cupit in uxorem ducere Cajam proneptem Bertæ, seu consanguineæ ejus in tertio gradu, sed mixto cum primo, non obstantibus primo, & tertio gradu affinitatis illegitimæ, licet ac valde contrahant matrimonium sine dispensatione? Respondetur affirmative. Ratio sumitur ex regula in c. fin. de consanguinitate, ubi dicitur, quod ad prestandum impedimentum remotior gradus attendi debeat. Cum ergo in dato casu tertius gradus sit remotior, & hic, juxta dicta à n. 1228. non præstet impedimentum, quando affinitas est illegitima, rectè sequitur, Titium & Cajam posse in dato casu liberè contrahere sine dispensatione; ita Corradus cit. l. 7. c. 1. n. 23. Ex quo colliges. 1. quod affinitas fornicariè in primo, & tertio, vel in secundo, & tertio gradu nullum hodie præstet impedimentum; ita Corradus n. 26. & 28. Colliges. 2. quod quando impedimentum (consanguinitatis nimirum, vel affinitatis) est in gradu mixto cum primo, quoties dispensatione indiget, primus gradus exprimendus sit in supplicatione; cum Pontifex Pius V. in cit. constitutione sua dicat, quod in propinquiori, si est primus, non exprimitur nunquam dispensare intendat.

Dixi superius n. 2171. quod impedimentum, nascens ex affinitate, dirimat matrimonium jure solum Ecclesiastico, in qua-

quacunque linea, seu gradu. Contrarium tamen tenent aliqui apud Card. de Lugo in *responsis moralibus* l. 1. d. 40. n. 2. quorum aliqui volunt, affinitatem jure naturæ in linea recta impedire matrimonium non solum in primo gradu, licet possit Pontificem dispensare validè, doceant Alexander, Alensis, Cajet. Abulens. Albertus Pighius, Armilla, Martinus, & Petrus Ledesma, Veracruz, Ouandus, Henriquez, Sa, Vega, & alij, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez l. 7. de *matrim. c.* 34. n. 5. Rebellus de *oblig. just.* 2. p. lib. 3. q. 15. n. 10. Quibus adde Joannem Præpositum, Casparum Hurtadum, Meratium, Bonacinam, & alios, quos affert, & sequitur Diana, p. 4. tract. 5. *Miscellaneo. ref.* 93. quare negari non potest, eam sententiam probabilem esse, atque adeò, si Pontifex de facto dispensaret, id faceret juxta probabilem tor doctissimorum hominum sententiam: quamvis fateantur ingenuè aliqui ex his Authoribus, quamvis hoc matrimonium non sit jure naturæ irritum, atque adeò possit validè à Pontifice in eo impedimento dispensari: continere tamen tantam turpitudinem, & indecentiam, ut sine maxima causa non possit licitè fieri, ob cujus causæ defectum nunquam hæcenus Pontifices dispensarunt; ita Sanchez ubi supra n. 9. in fine.

217. Cardinalis de Lugo *cit.* n. 4. utramque sententiam, speculativè loquendo, probabilem censet; suo tamen judicio dubium esse, an possit summus Pontifex validè dispensare? & certum, requiri maximam, & extraordinariam causam ad dispensandum; & certum sibi etiam tunc esse, non expedire, ut dispensaret. Prima, & secunda pars constat manifestè, inquit, cum tot tantique Doctores negent Pontifici eam potestatem; & cum omnes fateantur, ob maximam illius conjunctionis turpitudinem, seu indecentiam, maximam exigi necessitatis causam ad eam purgandam; ideòque nunquam in eo impedimento Pontifices dispensasse.

2176. Pro sua sententia nititur seqq. fundamentis; quia sententia docens, hoc esse impedimentum de jure naturæ, atque adeò non esse à Pontifice validè dispensabile, gravissimis nititur fundamentis.

Nam scriptura, & Patres non videntur aliter de eo conjugio, aut incestu loqui, ac loquantur de alijs criminibus jure naturæ prohibitis. *Levit.* 20. &c. Deinde, quia *Deuteronomij* 27. ex præcepto Dei proponuntur duodecim maledictiones, quæ à Levitis solemniter pronuntiari debeant, respondente ad singulas universo populo, *Amen*, quæ erant graviora peccata contra legem naturæ v. g. idololatricam, bestialitatem, homicidium proditorium, & similia; duæ autem ex illis sunt contra eum, qui dormit cum Noverca, vel Socru sua, quas quidem maledictiones Augustinus q. 61. & 65. super *Levit.* observavit, non tendere ad puniendam copulam adulterij, sed incestuosam copulam, vel conjugium. Constat ergo, illud etiam conjugium habuisse gravissimam indecentiam contra legem naturæ; cum nulla alia peccata ibi recenseantur, nisi quædam ex gravissimis contra legem naturæ, quæ solemniter anathematizabantur ab universo populo.

Tertio, quia, ut testatur Card. Bellarm. tom. 3. lib. unico de *matr. c.* 28. nulla unquam existunt exempla sanctorum, qui in eo gradu matrimonia contraxerint, nec unquam Ecclesia in eo impedimento dispensavit. Præter hæc adducit plures rationes ex diversis causis petitas, quibus tamen eò potissimum contendit, ut ostendat expedire magis, ne unquam ad eam dispensationem in affinitate primi gradus, lineæ rectæ, deveniatur in praxi, etiam occurrente maximâ, & extraordinaria causâ, ut habet n. 4.

Verùm, nullum gradum affinitatis in quacunque linea, jure naturali præstare impedimentum dirimens matrimonium inter taliter conjunctos, alij viri graves, & in doctrina morali excellentes tenent, ut diximus supra. Nec ex eo, quod incestui cum nuru, vel filia uxoris, aut cum Noverca decernatur etiam poena mortis, aut ejusmodi factum dicatur scelus, & tantum nefas, rectè sequitur, illud ex natura rei repugnare matrimonio inter personas taliter conjunctas. 1. quia pluribus locis idem dicitur, ac poena mortis decernitur transgressoribus juris divini, non naturalis, sed positivi. 2. quia licet in ejusmodi matrimonijs sit quedam

quædam indecentia, non naturalis, sed politica, ea tamen non fundat eam indecentiam naturalem, quæ tale matrimonium reprobet ex natura rei, ut ostendimus ex P. Sanchez supra. Sic enim fundatur in eo, quod unus habeat se tanquam naturale principium per se relatè ad alterum, id, quod nullatenus invenitur inter affines. 3. in c. Pitacium 30. q. 3. Zacharias Papa, cum intellexit, filium, cujus Pater alterius filium ex sacro baptisinate suscepit, suscepit sibi matrimonio junxisse, loquens de hoc factò, ait *crudele dictu*; & allegat dictum Domini ad Moysen: *turpitudinem patris tui, vel matris, vel sororis, non revelabis: turpitudinem enim tua est*: quin ex hoc sequatur, cognationem spiritualem esse juris naturalis, vel divini, etiam positivi.

2179. Nec ex eo, quod in Deuteronomio inter maledictiones à Levitis solemniter publicandas, numeretur etiam peccatum dormientis cum noverca, vel focu sua, rectè infertur hæc esse peccata contra jus naturæ. Nam plura, quæ in lege veteri, etiam per Levitas publicari oportebat, erant juris divini, non naturalis, sed positivi; nec etiam probatur, eas maledictiones, inter expressa inibi peccata, esse factas in ea, tanquam juri naturæ adversantia; cum plures pœnæ etiam gravissimæ in lege veteri, nunc evacuata, data fuerint in transgressores juris divini solum positivi. sed nec istud juvat, quod non extent exempla, quod Summi Pontifices inter affines primi gradus lineæ rectæ dispensaverint; non enim sola docent exempla; nec ex eo, quod ante Summi Pontificis dispensationem, quæ dissolvit matrimonium fidelium, ratum tantum, non præcesserit exemplum, rectè sequitur, successores id ex gravi causâ non potuisse facere juxta probabilissimam doctrinam à n. 1611.

2180. Ad extremum nota, quosdam, quibus speciali privilegio indultum erat, pro faciliiori infidelium conversione dispensandi facultas in impedimentis matrimonij, excepto primo gradu, exceptionem restrinxisse ad solum *primum gradum lineæ rectæ*, consequenter voluisse, se, vi facultatis datæ, dispensare posse in impedimentis matrimonij etiam *primi gradus, sed lineæ solum transverse*; quia facilius concedi solet dispensatio in illo, quam in secundo gradu

confanguinitatis; cum ergo ad hunc casum extendatur illa facultas, extendi etiam credendum est ad illum alium faciliorem; juxta regulam vulgarem, quod, cui conceditur quod est plus, concedi etiam videtur, quod est minus, quam regulam pluribus exemplis exornant, & declarant Doctores, quos congerit Thomas Sanchez l. 8. de matr. disp. 1. n. 31. præsertim cum hoc non agatur de dispensatione, quæ cum odiosa sit, habet strictam interpretationem; sed facultate dispensandi, quæ favorabilis est, & latam habet interpretationem, saltem, quando conceditur ad petitionem communiter, qui dispensabant, ut notat Sanchez D. 2. n. 1.

Sed oppositum dicendum est; quia ratio diversæ lineæ non facit, quod *primus gradus non sit primus*; ergo cum concessio privilegij non extendat se ad gradum in quibus dispensandi facultatem non dedit Pontifex; in illa autem generali concessione negaverit *primum gradum*, non extendet se facultas concessa ad illum, quæ juscunquæ sit lineæ. Quando autem dicitur, quod, *cui conceditur plus, concedatur etiam, quod est minus*, intelligendum est de illis, qui sub re concessa, vel ut patres, vel ut particularia sub genere universali concessio continentur; sic Thomas Sanchez l. 8. matr. D. 2. n. 15. nam potens ex privilegio in irregularitate homicidij voluntarij dispensare, non potest in irregularitate excommunicati celebrantis, quod multò minus est. Ad quod posset etiam afferri exemplum ex Tridentino sess. 24. cap. 6. de reform. ubi conceditur Episcopo facultas dispensandi in omni irregularitate ex delicto occulto in foro confitentur, excepta irregularitate ex homicidio voluntario: quare poterit Episcopus dispensare in irregularitate orta ex pravo usu canonum, vel ex homicidio graviter culpato casuali; non tamen poterit ex illa concessione dispensare in irregularitate orta ex defectu lenitatis, quæ multò minor est; quia nimirum hæc non continetur sub irregularitatibus ex delicto, de quibus solis concessionis verba loquuntur.



§. XIII.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento impotentie.

1182. Hæc questio juxta communem Doctorum sententiam non videtur hic habere locum; cum talis impotentia jure naturali dirimat matrimonium, esto Pontius, ut diximus supra, velit esse juris tantum Ecclesiastici. Ceterum esto matrimonium perpetuo impotentis cum potente revera sit nullum; tamen, ut dictum est in tit. 15. si contraxissent, & posteaprehenderetur unus impotens, possent, si vellent, simul manere solo fraternæ societatis vinculo, & casto amore constricti, sed separati thoro, & abstinentes ab omni usu carnis impudico, etiam per tactum, ut decrevit Lucius. III. in c. Consultationi. 4. & Coelestius. III. c. Laudabilem. 5. de Frigid. Not. tamen, si non continerent; nec, propter occasionem continuam, continere possent, eos teneri contra matrimonium reclamare, ut *judicio Ecclesie* separarentur; ne in peccatis, & proximo eorum periculo perpetuo vivant, de quo V. Sanchez l. 7. d. 97. à. n. 4. & alios.

§. XIV.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex defectu ætatis?

1183. Questio procedere potest solum in casu, quo est defectus ætatis *legalis*. Nam defectus ætatis *naturalis*, ubi scilicet necdum adest maturitas judicii ad consensum cum requisita deliberatione præstandum, matrimonium jure naturali est irritum, consequenter in eo defectu ab Ecclesia dispensari non potest: secus est, cum deficit ætas jure solum humano requisita, de quo dictum est in tit. 2. à. n. 585. Et in eo defectu Pontificem posse dispensare, non est dubium, cum jure solum Ecclesiastico præster impedimentum. Circa dispensationem in hoc impedimento.

1184. Not. 1. cum minoribus, non habentibus legitimam ætatem, jure Ecclesiastico præscriptam ad matrimonium, Episcopum posse dispensare, ut illud incant, quando prope illam ætatem sunt, & dubitatur, an malitia suppleat ætatem? sic Barbo. de jure Ecclesiast. lib. 1. c. 11. §. 6. n. 187. & ratio est ex dictis à n. 2044.

Not. 2. quando conjuges sunt teneræ ætatis (cum facile decipi poterint) & inci-

Tom. IV.

piunt sibi displicere, eos juxta de Justis l. 2. c. 10. n. 33. posse dispensari super matrimonio rato tantum, & non consummato; quod talia matrimonia cateroquin infelices exitus habeant; alij tamen negant, ut constat ex dictis à n. 1621.

Not. 3. si matrimonium celebrandum sit per Procuratorem, in hoc non requiri ætatem jure civili requisitam; sed eam sufficere, quæ habeat usum rationis, ut sui Principalis consensum explicare possit; ita Sanchez l. 3. hic. d. 41. n. 8. cum nec in Testibus exigatur ætas major per dicta alibi.

Not. 4. quando constat, quod malitia suppleat ætatem ad matrimonium requisitam; non requiri dispensationem; quia tunc non est defectus ætatis legalis, ut constat ex dictis à n. 601. sic Reginald. in praxi fori penitent. l. 31. c. 22. n. 171. si tamen esset dubium; necessaria foret declaratio: quia, cum ea qualitas non præsumatur, & (si absit) præstet impedimentum valori, non procedit casus, nisi cognitâ causâ per Episcopum declaratur non obstare, ad cavendum scandalum. V. Sanchez l. 7. d. 105. n. 4.

§. XV.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex clandestinitate;

Potissima difficultas est, quando matrimonium *clandestinè* contractum est, præsertim, si etiam *consummatum*. Nam in matrimonio celebrando clandestinè *secundum quid* (nimirum vel omisiss, vel postpositis, aut breviter denuntiationibus) dispensare posse Episcopum ex causa, constat ex n. 684. Ut autem matrimonium celebraretur *clandestinè simpliciter*, seu sine præsentia Parochi, & testium, dispensare quidem potest Pontifex, sed non nisi ex causis gravibus: quoad reliqua.

Not. 1. in casu, quo matrimonium cum impedimento in gradu prohibito clandestinè (culpabiliter nimirum omisiss tantum denuntiationibus) celebratum est in facie Ecclesie, & consummatum, Pontificem moveri ad dispensandum in eo impedimento ex causa, de qua n. 2096. nimirum ad evitanda scandala, quæ verosimiliter timentur, nisi matrimonium legitimè, ac rite contrahatur. Item ex alijs, ut periculo incontinentiæ, infamiæ, quod mulier deberet innupta manere, vel cum periculo

Yyy

periculo

periculo vitæ, &c. de quibus à num. 2070. V. Sanchez l. 8. hic d. 19. à num. 9. Dixi, si contraxerunt in gradu prohibito. Nam si nullum subsit impedimentum dirimens, dispensatione non egent; cum possint supplere defectum, si opus foret, natum ex clandestinitate. Dixi. 2. & consummatum. Nam in tali casu, petentes dispensationem, deberent explicare, an scientes impedimentum contraxerint? an consummaverint hoc titulo facilitandi dispensationem? quo casu urgentiores causæ requiruntur, ut jam supra expositum est.

Not. 2. difficultatem dispensandi nascentem ex eo, quod culpabiliter omisissis denuntiationibus Oratores contraxerint in gradu prohibito, à quibusdam intelligi de matrimonio sic contracto cum quocunque impedimento dirimente, ut diximus à n. 750. probabilius tamen est, intelligi solum de gradibus consanguinitatis, & affinitatis ex n. jam c.

§. XVI.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex raptu?

2188. Loquimur de Raptu mulieris, in quantum jure Canonico præstat impedimentum dirimens matrimonium Raptoris cum Rapta, de quo num. 507. vix autem contingit, quod in solo hoc impedimento, aut quaeratur, aut detur dispensatio. Nam si Rapta sit invita, & nolit, dum est sub Raptoris potestate, non proderit Raptori dispensatio; si autem Rapta est volens, dispensatione non eget, quia tunc Raptus ei non præstat impedimentum ex dictis supra, ubi contraheret constituta extra Raptoris potestatem. Quia tamen definitione Concilij Tridentini (ut habetur ex dictis num. 507.) constat, à Raptore incurri hoc impedimentum ex vero Raptu invitæ, ac durare, donec Rapta sit in loco tuto extra ejus potestatem; mulier tamen ob alia pericula extrinseca dimitti non possit ab illo, & de primitus invita, fiat volens, & omnino libenter ei nubat, sed ob durans impedimentum non possit, evenire poterit casus, ubi solus Raptus obstet, & dispensationi sit locus, utique dandæ ob justas causas, si casus, ut ponitur, ita se habeat, & in supplicatione exponatur. Si autem contingat, quod Raptor, & rapta,

laborent alio impedimento, pro cuius dispensatione supplicant, non tantum impedimentum illud exprimi debet; sed etiam Raptus, & quidem cum omnibus suis qualitatibus, & circumstantijs, nimirum, an fuerit factus causa matrimonij, an tantum causa libidinis, vel facilius impetrandi dispensationem? sic de Justis cit. l. 1. c. 4. ex P. Sanchez l. 8. hic d. 25. n. 19.

Not. autem. 1. juxta Regulam 49. Cancellariæ Apostolicæ constitutum esse, quod in litteris dispensationum super aliquo gradu affinitatis, vel consanguinitatis, aut aliâ prohibito, semper apponatur clausula: dummodo dicta mulier, propter hoc rapta non fuerit; & si non fuisset in litteris mandati apposta, semper tamen subintelligatur de stylo Curia. Quare hæc fuisset omisâ, si Executor deprehenderet intervenisse raptum, non posset mandatum dispensationis exequi (nam conditio: dummodo rapta non fuerit, non subsisteret) sed opus foret novis litteris Pape in forma perinde valere, exposito toto dicto, prout se res habuit, de quo V. de Justis l. 2. c. 8. à n. 34.

Not. 2. illam clausulam verificari, modo Raptus non intervenit cum ijs qualitatibus, quæ in eo desiderantur, ut juxta Concilium constituat impedimentum dirimens; ad quod, ut diximus loc. cit. requiritur, quod factus sit causa matrimonij. Nam Raptus ex causa libidinis explendæ, vel alio fine, quam matrimonium contrahendi, non comprehenditur in decreto Concilij, raptui statuentis vim matrimonij diremptivam, ut diximus cit. ita Sanchez l. 2. hic d. 13. n. 4. & alij cum Barbosa ad c. 6. Trid. sess. 24. Reform. matr. c. 6. Corradus lib. 7. c. 6. num. 48 &c.

ARTICULUS VI.

De supplicatione pro impetranda dispensatione.

Cum apud Cismontanos, stylus Curia, propter rerum suarum varietatem, non raram mutationem, in modo, & qualitatibus impedimentorum, pro quorum dispensatione supplicandum est, exponendis, raro plene cognitus sit; ac ob inde frequenter Oratores, aut dispensantes,

dantur, aut ambigui reddantur etiam ipsi delegati ad exequendum dispensationis mandatum; vel ubi executi sunt, denovo dubitatione subortâ pro novis litteris, saltem in forma *perinde valere* supplicandum sit: communiter his, & similibus suadetur, ut arborem consanguinitatis, vel affinitatis ritè conficiant, vel confici curent, ac. 1. nomina Oratorum, seu supplicantium signatè, cum cuiusque dicecisi, ex qua orti, aut oriundi sunt. 2. desiderium suum, nimirum incundi matrimonium ob causas N. N. 3. impedimentum, quod obstat, cum omnibus suis qualitatibus intrinsicis fincerè, ac clarè in supplicatione sua exponant; ac demum rogent, ut non obstante tali impedimento, de gratia summi Pontificis matrimonium in facie Ecclesie contrahere, aut si jam contractum est, revalidare, prout oportet liberè valeant. Ut autem hæc ritè fiant, virum in his periculum adeant, ac ei totum negotium committant, vel per se, vel Pastorem proprium, aut alium eorum bono studere, ac opi esse cupientem. Dixi. 1. exprimenda esse. 1. nomina Oratorum cum cuiusque dicecisi v. g. Beatissime Pater. Exponitur humiliter Sanctitati Vestre pro parte devotorum illius Oratorum N. & N. v. g. Joannis Cornelij, & Franciscæ Bertæ, dicecisi Viennensis.

2191. Circa quod not. 1. quando exponitur nomen Oratoris, communiter apponi eius conditionem, quod sit *Laicus*, ne patetur esse in sacris, vel regularis, statuta per fraudem dissimulato. v. g. Exponitur ex parte Oratorum, Joannis Cornelij Laici, &c. 2. qualitatem *nobilis*, aut *illibris* sanguinis, non esse de necessitate exponendam, nisi cum Oratores ex titulo, seu ex ea etiam causa, intendunt movere Pontificem ad dispensandum. v. g. Joannis Cornelij Laici, & Franciscæ Bertæ, qui de nobili prosapia procreati existant, &c. in quo tamen observanda dicta à n. 2108.

2193. Not. 2. quoad dicecesim observandum. 1. utriusque dicecesim exponendam, si sint ex diversis dicecesibus. 2. exprimendam dicecesim originis propter dicenda n. 2106. quia mandatum, ex stylo, communiter dirigitur ad Ordinarium Originis oratricis; nisi Oratores specialiter pe-

Tom. 11.

tant, & supplicent, ut committatur ordinario domicilij v. g. ex parte Joannis Cornelij Laici, Viennensis, & Franciscæ Bertæ, Salisburgensis dicecisi.

Not. 3. Præter dicecesim Oratorum 2194. non exigi etiam expressionem loci, ex quo sunt, nisi quando causa dispensandi allegatur *angustia loci*, ut dictum est n. 2082. & tunc nominari debet locus *Originis*, juxta num. 2704. quamvis alij putent sufficere locum domicilij ex eod. n. v. g. Exponitur ex parte Cornelij Laici, ex oppido. N. Viennensis, & Bertæ oriundæ, vel ortæ ex oppido v. g. Burghusio Salisburgensis dicecisi, quod, cum dicta oratrix, in dicto loco, propter illius angustiam, virum non impeditum, paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat. Ubi nota quod si Oratores extra suas Originis diceceses domicilium habeant, & contrahere velint, adhuc mandatum dispensationis committetur Ordinario oratricis: nimirum Salisburgensi, nisi expressè supplicent, ut dirigatur ad Ordinarium sui domicilij, ut dictum est n. 2193.

Dixi. 2. desiderium incundi matrimonium cum causis ad dandam in impedimento, quod subest, dispensationem sufficientibus v. g. Exponitur pro parte Oratorum, &c. ut supra. quod, cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem, & juxta statum sui conditionem, cum qua virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiunt matrimonialiter copulari. Ex quo habetur, qualiter exponi debeat causa, si allegatur *angustia loci*, de qua num. 2082. & seqq. vel *incompetentia dotis*, de qua num. 2087. si autem ea causa, quæ petitur ex angustia loci, deberet exponi cum clausula, & si extra, de qua num. 2080. proponitur ut supra: quod, cum dicta oratrix, in dicto loco, propter illius angustiam virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; & si extra dictum locum nubere cogeretur, dos, quam ipsa habet, non esset competentis, & sufficiens, ut cum ea virum, ut supra.

Qualiter exponi debeat causa, si allegatur 2196. *incompetentia dotis cum angustia loci*, dictum est supra n. 2071. si cum clausula, & si extra. n. 2087. si cum angustia locorum.

Yyy 2

corum.

corum. n. 2077. si denique cum augmento, n. 2091. tunc enim dicitur: quod cum dicta oratrix dotem minus competentem habeat, juxta status sui conditionem, cum qua virum non impeditum parvis conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, & dictus orator illam, cum dicta minus competente dote in uxorem ducere; illiusque dotem, usque ad quantitatem, secundum dicta oratrix qualitatem, competenter augere intendat &c. Idem est, si oratrix sit indotata, de quo casu dictum est n. 2093.

2197. Si autem allegaretur, quod oratrix habeat quidem dotem de se sufficientem, sed litibus involutam (ut diximus n. 2091.) & orator impeditus possit, & vellet eam juvare, si ex dispensatione illam ducere posset, exponi solet: quod, cum dicta oratrix dotem habeat, sed litibus involutam, & dictus orator, qui ad eam prosequendam habilis existit, illam in uxorem ducere, litibusque hujusmodi in se suscipere, defendere, ac propriis expensis prosequi intendat &c. & sic de alijs causis, de quibus supra.

2198. Dixi, 3. exponendum impedimentum obstant cum qualitatibus intrinsicis. v. g. sed quia quarto e. g. consanguinitatis gradu conjuncti sunt desiderium suum hac in parte adimplere non possunt, absque sedis Apostolicæ dispensatione: circa quod not. 1. per qualitates intrinsicas hic intelligi ea omnia, quæ supra de singulis diximus esse necessariò explicanda, cum dispensatio petitur in tali impedimento; ut est linea, gradus, provenientia, impedimentorum pluralitas, ommissio culpabilis denuntiationum, si matrimonium nulliter, & cum scientia impedimenti contractum est &c. de quibus omnibus jam actum est a n. 2071. Ex quo vides aliud esse, cum dispensatio petitur ad contrahendum; aliud, ad nulliter contractum revalidandum.

2199. Quoad hæc not. 1. in supplicatione, ubi de causis nihil specificè exponitur, sed solum in genere, juxta dicta n. 1105. rem sic proponi: quod ipsi, qui ex honestis familiis existunt, ex certis rationabilibus causis, animos eorum moventibus, cupiant matrimonialiter copulari: sed quia obstat hæc impedimentum, ut supra.

2200. Not. 2. quando ad contrahendum oratores dispensari cupiunt, & inter eos habitæ est copula, præter impedimentum, exponendam etiam copulam, sed tunc so-

lùm si allegatur pro causa motiva dispensationis; vel, si spe hoc titulo facilius extorquendi dispensationem, ut diximus superius; secus non esse necessariam ejus mentionem ex dictis a n. 1166. Et in prædicto quidem casu, si scientes impedimentum copulam habuerunt, sed sine intentione facilius obtinendi dispensationem, sic exponi solet, quod, ipsi alijs scientibus, si v. g. tertio consanguinitatis gradu conjunctos, orator, non quidem peccandi data sperat, ut crimen admissum causa foret, sed & sedem Apostolicam, ad misericordiam, & gratiam erga ipsos, faciliores reddendi: sed solum vesana libidine vitium oratricem cognovit.

Et post hoc subjungitur: Cum autem nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, gravia mala sequantur, de quibus a n. 2096. v. g. dicta mulier infamata, & inupta remaneret, graviaque exinde scandala (ut n. cit.) postquam verosimiliter oriri, cupiunt, ut supra a n. 2196. &c.

Si quæras, qualiter dicendum, quantum copulam habuerunt, ambo ignorantes impedimentum? R. tali casu exponendum, quod ipsi alijs ignorantibus impedimentum (v. g. se taliter conjunctos esse) tantum unus ignoravit, sic: quid oratrice v. g. ignorante, se illi conjunctum, canonicè impediam. Si scientes impedimentum contraxerunt, & consummarunt, sine intentione facilitandi dispensationem, res proponitur, ut n. 2200, nisi quod dicatur: quod scientes impedimentum contraxerint, & consummarint, non quidem, ut &c. sicut supra; & subjungitur cum autem, si divortium inter eos fuerit, gravia exinde scandala, ut supra n. 2098. & seqq.

Ubi not. quod in dato casu etiam debet debeat, an contraxerint, factis, vel ommissis denuntiationibus, v. g. si contraxerint scientes impedimentum ommissis denuntiationibus, sic, quod ipsi alijs scientibus impeditos, matrimonium clandestinè contraxerunt, & consummarunt; vel, si non clandestinè, & ignorantes, se impeditos, quod ipsi alijs ignorantes se impeditos, juxta formam CC. Trid. publicè contraxerunt, & consummarunt: sed quia &c. cupiunt &c. ut supra. Corradus l. 7. c. 4. n. 5. addit, simul explicandam, an (postquam igno-

ignorantes impedimentum, contraxerunt, & consummarunt) detecto impedimento in copula perseveraverint, vel abstinuerint? sed de hoc casu jam dictum est, an & quando copula de necessitate exponenda sit? Denique si copula in casu, de quo n. 2200. fuisset ex intentione eo ipso titulo dispensationem evincendi, explicari deberet hoc ipso per oppositum his, quae diximus n. jam cit. motiva, ceteroquin sufficientia citra hanc circumstantiam, graviora esse deberent, ut ad concedendam gratiam flectant Pontificem, si spes illa talis fuit, prout ad hoc requiritur, ut incurratur poena carenti spe dispensationis, ut dictum est in praemissis.

2204. Dixi. 4. rogent demum gratiam dispensationis v. g. supplicanti igitur Sanctitati vestre Oratores praefati, quatenus cum eisdem oratoribus, quod impedimento v. g. quarti consanguinitatis gradus huiusmodi non obstant, matrimonium iuxta formam CC. Trid. contrahere, in facie Ecclesiae solemnizare, ac in eo postmodum liberè & licitè valeant, dispensare dignemini, cum clausulis consuetis.

ARTICULUS VII.

De Executione mandati dispensationis.

2205. Cum ex dictis constet, dispensationem frequenter concedi in forma solum commissaria, nimirum mandando alteri, ut cum oratoribus dispenset, si repererit, preces veritate niti, hoc est, rem ita se habere, prout Pontifici proposita est à supplicanti tam quoad ipsum impedimentum, quam quoad causas in libello allegatas, quae causae mandato inseri solent cum certis clausulis; breviter exponendum venit, quae in ejusmodi mandati executione comprimis de necessitate observanda sint ad hanc functionem delegatis. Hinc sit

§. I.

An delegatus possit exequi mandatum inscriptum Ordinario sponsi?

2206. Quaestio est, an, si dispensandi forent ex diversa dicecesi, & mandatum dispensationis inscriptum esset Ordinario, seu

Dicecesano Oratoris, is possit mandatum exequi? affirmative dicendum videtur ex P. Sanchez l. 8. matr. D. 35. n. 5. dicentis, quòd, licet oratores sint ex diversa dicecesi, non sit opus in precibus dispensationis explicare utriusque dicecesim, sed sat esse dicendo alterutrius. Nam hoc stante, si dicecesis oratoris expressa est, & huic mandatum inscribatur, non potest non rectè praesumi, intentionem mandantis ferri ad Ordinarium in litteris expressum; cum nequeat restringi ad aliū non expressum, qui non est de necessitate exprimens: sed contrarium tradit Corradus l. 7. c. 5. à n. 26. docens, esse de notorio stylo Datariae, & Cancellariae necessarium, ut, cum sunt ex diversis Dicecesibus, utriusque exprimatur, eò, quòd intentio committentis delegato potestatem dispensandi de certo Curiae stylo feratur in Ordinarium oratricis, & ideo in clausulis supplicationis apponi: & committatur ordinario oratricis, qui deposita &c. dispenset. Unde in fine ejusdem num. addit, quòd Executor, si huiusmodi stylum ignoret, perperam illas litteras exequeretur.

Quaestio est 2. quid agendum, cum er-^{2207.} ratur in dicecesi, cujus erat is, pro quo impetratur dispensatio? ut si dictum esset, oratores esse Dicecesis Salamantinae, cum sint Cordubensis, ac proinde commissio facta est Officiali Salamantino? Diana in tract. de Legib. resolut. 36. ait, adhuc valituram dispensationem factam ab Officiali Salamantino; quia non deficit intentio Papae, ut solus petentis Ordinarius dispenset: Sanchez autem l. 8. hic D. 21. n. 39. & ex illo Corradus l. 7. c. 5. n. 29. docent, non posse officialem Salamantinum hanc dispensationem exequi. 1. quòd deficiat intentio Papae committentis, quae est, committere legitimo Ordinario impetrantis, juxta id, quod praescriptum est in Trid. sess. 22. de reform. c. 5. ibi: dispensationes, quacunque autoritate concedendae, si extra Romanam Curiam committendae erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint. veniunt autem hic nomine Ordinarij etiam Abbates, & alij Praelati habentes jurisdictionem, quasi Episcopalem, ac proprium districtum; sic Barbof. in cit. loc. Trident. n. 2. Deinde, quia error, quamvis culpa carens, non efficit, ut rescriptum extendatur ad casum, qui sub

Yyy 3

verbis

verbis ejus non comprehenditur, quamvis si is petitus esset, literæ similiter concederentur, ut allegat Innoc. in *c. super literis de rescript. n. 3.*

2208. In hac controversia dicendum videtur, in casu, quo error in dicecesi *impetrantis dispensationem*, solum commissus est à Curialibus in describendo, non obstare valori dispensationis, si mandatum exequatur impetrantis Ordinarius legitimus *in supplicatione expressus*, & Pontifici propositus licet inscriptio per errorem facta sit ad alium; quia, cum ejus valor pendeat ab intentione committentis; & hæc in præsentis casu non deficiat (quia ponitur, quod legitimus ejus Ordinarius in supplicatione expressus, ac propositus fuerit; & hic in eum consenserit) nihil deficit, necessarium ad valorem. Quando autem dicitur, quod error etiam culpâ carens, non efficiat, ut rescriptum extendatur ad casum sub verbis rescripti non comprehendit, intelligendum venit de errore *circa substantia rescripti*, & quando intervenit in supplicatione Pontifici proposita; non autem si extra hunc casum, ex solo errore scribentium, ut in simili dictum est alibi.

2209. Ex hoc colligitur, quod, si *in supplicatione* fuisset erratum in dicecesi, loco dicecensis, in qua est impetrans, aliam nominando, & hæc Pontifici proposita esset cum inscriptione mandati ad hujus ordinarium, hunc mandatum exequi non posse; quia Pontifex non consensit in hunc, nisi ex suppositione, quod sit legitimus Ordinarius impetrantis. Nec obstat, quod Pontifex *consensisset* in eum, qui est Ordinarius legitimus, si fuisset expressus. Nam voluntas, *quæ non est, sed esset, in dispensationibus nihil operatur*, sed tantum operaretur, ut alibi diximus.

§. II.

Quid dicendum, si erratum sit narrando unum impedimentum pro altero?

2210. Casus est: Oratores sunt in certo gradu *consanguinitatis*, & in mandato exprimitur idem gradus, sed aliud impedimentum, videlicet *affinitatis*; queritur, an, si delegatus hunc errorem deprehendat, possit exequi mandatum; &c. Si per ipsos

oratores in supplicatione Pontifici proposita, unum pro altero expressum sit, non posse; quia tunc deficit intentio Papæ, liberandi oratores ab impedimento nullatenus expresso, ut diximus n. 2208.

Quæstio est, an delegatus mandatum exequi possit in casu, quo impedimentum verè, prout est, expositum ab oratoribus, & in id sic expressum Papa consensit, & solum ob scriptoris incuriam aliud expressum est? negativam sequitur Vincenzus de Justis. l. 1. *dispens. matr. c. 4. à n. 44.* quia delegatus fines mandati egredi non potest, nec literas Apostolicas aliter interpretari, quam verba sonent. *c. cum dilecta. 22. de Rescript.*

Sed affirmativam probabilius tenet Laman l. 1. *tr. 4. c. 22. à n. 26.* Diana p. 8. *tr. 3. resol. 63.* & alij. quia delegatus faciendo, quod Pontifex fieri voluit in mandato, validè ac licitè procedit; sed in dato casu dispensando in impedimento per oratores expresso, & Papæ cum consensum in ejus relaxationem proposito, delegatus faceret, quod Pontifex fieri voluit in mandato. Ejus enim intentio est, ut in impedimento sibi expresso dispensetur, ut ponit casus. ergo.

Ad rationem in contrarium non verum esse, quod delegatus nec fines mandati egredi, nec literas aliter interpretari possit, quam verba sonent *ex intentione ac mente mandantis*; cuius ratio est, quia mandatum non debet trahi ultra intentionem mandantis. *L. non omnis. ff. si certum petatur*: bene tamen aliter, quam verba sonent ex errore solius scribentis, ubi & de mente illius, ac hujus errore, delegato constat. Et confirmatur ex ipsa doctrina, quam sequitur cit. de Justis n. 54. dicens: *quod error nominis non vitiet gratiam, quando constat Papæ de Persona*, cui concessa est; quia Pontifex intendit dispensationem concedere *petenti, sibi propositæ*, sive is sit Titius, sive Cajus; quia solum spectat gratiæ aequitatem: quæ hujus auctoris doctrinâ suppositâ sic argui potest: juxta ipsum error *in nomine petentis dispensationem*, non vitiat mandatum, quando Papæ constat *de persona petente dispensationem*; ergo nec error *in nomine mandatarij*, seu *diocesani vitiat mandatum, quando Papæ constat de persona mandatarij, seu Diocesani*: ergo idem rectè sequitur.

tur de errore commisso in scribendo falsum impedimentum, quando Papæ notum est impedimentum verum, & in id consentit.

§. III.

An facta delegatione Vicario, possit Episcopus se ingerere?

113. Cum ex dictis constet, mandatum dispensationis extra curiam committi locorum Ordinarijs, quæri potest, quis hoc loco veniat nomine Ordinarij? respondetur, quod non tantum Episcopus, sed etiam Vicarius Generalis; non autem Vicarius Foraneus; cum non faciat idem Tribunal cum Episcopo, ut notat Sanchez l. 3. matr. D. 29. n. 20. Pontius l. 5. c. 11. n. 12. Et quamvis nomine Ordinarij hoc loco veniant etiam inferiores Prelati, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent, & nullius in excelsis sunt, ac inde affirmat Sanchez l. 8. D. 27. n. 34. de ipsorum Vicarijs; contrarium tamen (de horum Vicarijs) affirmat Corradus l. 7. c. 4. n. 57. allegans, si habere styllum Curie, & decium à sacra Congregat. quia horum officium non æquiparatur dignitati; his premissis.

114. Ad questionem, initio §. propositam, responso est negativa; quod verum est, etiam Vicario mortuo, vel absente, aut ab officio remoto; ita Sanchez cit. n. 30. Corradus cit. l. 7. c. 4. à n. 38. quorum fundamentum est ex stylo, & constanti usu Curie, nunquam alternativè litteras dispensationis Episcopo, vel Vicario committentis. Unde si Vicarius, cui mandatum commissum est, non amplius foret in officio, ejus executio fieri deberet à successore, si commissio inscripta fuisset officio Vicarij, non expresso ejus nomine; quia tunc respicit Tribunal, & non personam, adeoque delegatio non est personalis, sed realis, quæ transit ad successorem; ita Sanchez cit. n. 2. & 18. Filliuc. tom. 1. rr. 10. c. 10. p. 2. n. 343. & alij.

Sed, quid, si mandatum esset directum ad Vicarium, expresso ejus nomine proprio? v. g. dilecto filio Titio, Vicario Viennensi; respondet Sanchez cit. n. 11. Bonacina de Legibus d. 1. q. 3. p. 8. n. 35. si primo loco positum sit nomen proprium ejus, delegationem esse personalem; &

mandatum adhuc per illum, esto desinere esse Vicarius, executioni mandari posse; cum mandatum factum sit personæ; ubi etiam not. in his partibus Vicarium Generalem Episcopi, & Officiale pro eodem sumi, sic ut solâ voce differant, teste Barbosa de offic. & potest. Episc. allegat. 54. n. 53.

§. IV.

An facta delegatione Episcopo, Vicarius se ingerere possit?

Communis responsio est, in causa dispensationis ad Episcopum directæ, Vicario ejus nullam competere jurisdictionem, licet alias haberet mandatum plenissimum ad cognoscendas causas delegatas, & delegandas. Nam jurisdictio, quæ nec actu, nec habitu competit, subdelegari non potest, consequenter in tali mandato non venit jurisdictio delegata aut in futurum deleganda; sic de Justis cit. l. 1. c. 4. n. 62. Pafecius in praxi Episc. p. 2. c. 4. n. 7. & alij. Quod tamen intellige, quoad nudum ministerium, seu ipsum actum dispensandi, ut colligitur ex illa clausula: Tuam conscientiam oneramus. Ex eo enim inferunt, ipsam dispensationem non posse subdelegari, eò, quod electa sit industria personæ. Corradus cit. l. 7. c. 6. à n. 4. Menoch de arbitrar. Jud. l. 1. q. 68. n. 2. & alibi.

Ex hoc inferitur, quod delegatus, non obstante illâ clausula, receptionem testium, & informationem possit alteri committere, juxta communem doctrinam, quam tradit Innoc. in c. fin. de offic. deleg. quod, quando nudum ministerium unâ cum jurisdictione committitur, non possit quidem nudum ministerium delegari, sed tantum jurisdictio, nimirum recipiendi testes, examinandi &c. Inferitur 2. ut verificentur prædicta (nimirum ea, quæ à supplicanti- bus allegata sunt) sufficere, si delegatus recipiat juramenta testium, & per alios, quibus examen commisit, intelligat, preces veritate niti, modò hi sint viri integre omnino fidei, ne delegatus per eos deceptus, cum periculo nullitatis, oratores dispense.



§. IV.

§. V.

An delegatus sententiam nulliter factam
revocare possit?

2217. R. Delegatum semel in iudicando functum plene officio suo, non posse amplius mutare sententiã suam, esto deprehendat, se nulliter ac invalidè pronuntiãsse. Nam positã semel tali functione per sententiam definitivam, expirat iurisdictionio delegati. *L. Judex posteaquam. ff. de re iudicat.* Et ideo etiam Judex delegatus, si semel iudicavit, licet nulliter, & invalidè, functus est officio suo; nec ei amplius convenit, sententiam revocare. *L. Paulus. 1. ff. de re iudicat.* Hęc tamen intellige de Iudice delegato, non Ordinario, qui iure proprio iudicat; nam delegatus agit iure alieno, & ad unum duntaxat concessõ; intellige. 2. quod nihil possit ex vi iurisdictionis delegatæ. Nam si simul esset ordinarius, de valore, vel invaliditate matrimonij, nihilominus cognoscere posset; quia has causas cognoscit iure suo; sic Corradus *cit. l. 7. c. 4. n. 56.* ex Sanchez *l. 8. d. 27. n. 39.* An autem idem procedat in delegato per sacram penitentiariam pro foro tantum conscientie, dicemus infra, & quidem negativè, ut patebit.

§. VI.

An delegatus teneatur cognoscere de his,
quæ in litteris non continentur?

2218. Responsio est negativa; plus enim nec potest, nec prestare tenetur, quàm ex mente mandantis contineant litteræ mandati. Unde nec vi clausulæ (*si preces veritate nitantur*) exigere aut debet, aut potest plus, quàm mandatum ex mandantis mente contineat: quia tamen, ut notat de Justis *l. 1. c. 4. n. 265.* Iudices delegati, circa quadam quandoque interrogant, quæ non debent, ideo:
2219. Not. 1. olim in dispensationibus matrimonialibus cum consanguineis, vel affinis, fuisse appositam clausulam: *dummodo copula non intercesserit*: hodie tamen non dari dispensationes cum eã clausulã, ut refert Corradus in *praxi dispens. Apost. l. 8. c. 2. n. 20.* consequenter Iudices delegatos ad dispensandum cum consanguineis, vel affinis, non tantum non te-

neri, dispensandos interrogare, an inter eos habita sit copula? (nisi allegaretur ut causa motiva propter scandala inde oritura, ut dictum jam est sapius) sed male omnino facere, illos super hoc examinando; quia non spectat ad eos examinare de his, quæ non sunt in mandatis, & ideo, talem consuetudinem super hoc examinandi, multi Doctores vocant corruptellam, & contra expressam mentem Papæ; sic de Justis *cit. n. 265.*

Not. 2. an in casu, quo in mandato adderetur ea clausula (*dummodo copula non intercesserit*) Oratores tenerentur Executori fateri copulam habitam, si foret occulta? affirmativam sequi Vincentium de Justis *cit. n. 261.* & alios; quia ly *dummodo* importat conditionem, sub qua committitur iurisdictionio delegato; igitur constare debet, an subsistat, an non? sed probabilius esse oppositum, & Oratores interrogatos, non teneri eam fateri; cum occulta est; ita Sanchez *l. 8. hic d. 2. n. 13.* Pontius *lib. 8. eod. c. 17. §. 6. n. 37.* alij. quia hæc facultas dispensandi debet intelligi *secundum naturam dispensationis concessæ*, quæ est *pro foro externo*; adeoque ly *dummodo* non importat non intervenientiam copulæ, utriusque utriusque conditionem; sed *non interventionem copulæ notæ in foro externo*; ubi autem copula, quæ intercessit, occulta est, verificatur, non intervenisse copulam notam in foro externo; ergo; quod confirmari potest ex dictis supra de copula habita *cum spe* ex hoc ipso facilis obtinendi dispensationem.

Si quæras, quando delegatio dicatur personalis, quando realis? R. id constare ex num. 2214. ubi etiam diximus illam non expirare, licet cedat, vel removeatur ab officio; istam autem in casu, quo delegatus moritur vel decedit ab officio, transire ad successorem; quibus adde, delegationem personalem; quævis facta sit personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, si delegatus moritur, finiri, sive res adhuc sit integra; sive non; sic Parisius de *Resignat. l. 1. c. 11. n. 17.*
& alij.



§. VII.

Quando delegatus censeatur habere jurisdictionem?

222. R. i. quod nullam habeat jurisdictionem quoad exercitium, priusquam literarum mandati sibi presentatae fuerint. Licet enim ipsa die datae litterarum jurisdictionem recipiat *in habitu*, non habet tamen *in actu*, & exercitio ante earum presentationem. c. *super eo*. 12. de *Appellat.* ibi: si autem intra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cum *Judices contigerit literas recepisse*; & c. *Pastoralis*. 12. de *Rescript.* ibi: sed *antequam exprimentur persone, vel res, delegatus nequit jurisdictionem hujusmodi exercere*. ubi Gl. V. *Jurisdictionem*, habet ergo jurisdictionem, ait (intellige, habitu) licet non habeat exercitium.

223. Ex hoc sequitur, omnia acta delegati post datam litterarum, sed ante illarum presentationem, esse nulla, & irrita, nec convalescere post subsolutam illarum presentationem, ut docet Sanchez l. 8. *matr.* d. 29. num. 10. & alij. Unde non sufficit, quod sciat, delegationem in se factam esse, ut docet Lotharius l. 1. q. 40. n. 27. Nam vis delegationis non stat in scientia, vel ignorantia delegationis, sed in productione litterarum, seu mandati; ratio est, quia, cum jurisdictione sit qualitas, quae non inest homini naturaliter; probari debet, quod non sit, nisi exhibitione mandati, quo docere possit commissionem sibi factam ab eo, cujus est, delegare potestatem relaxandi legem suam pro tali casu, ut bene docet Sanchez cit.

224. R. non sufficere, quod presentetur delegationis, seu litterarum commissionis exemplar, sed debere mandatum originaliter presentari. Nam alias nec certus fuit delegatus de jure sibi competente; nec de illo probationem faceret debitam; & ejusmodi commissiones in re tam gravi, qualis est valor hujus Sacramenti, pendentis a jurisdictione delegata, saepe suppositivis literis, & fraudum periculis exponerentur; ita Card. Tusch. *conclus.* 435. n. 9. & complures alij.

225. Ex hoc colliges, ut Oratores a delegato valide dispensentur, non sufficere, quod Pontifex supplicationi annuerit, quod mandatum super hoc expediti praeceperit,

Tom. IV.

quod Oratores certi sint, jam etiam esse expeditum mandatum, & actu esse in via, imò statim adfuturum, si delegatus illud in originali nondum habet; tum quia jurisdictione sibi commissa prius uti non potest, ut dictum est n. 2223. tum quia delegatus nulliter agit, non praemissa cognitione causa secundum formam mandati, ut dicemus infra. Et ideo, si Oratores impediti, post supplicationem Romae factam, ac ejus admissionem à Papa, certiores de mandato redditi, & commissione proximè mittenda, dissimulato impedimento, etiam in facie Ecclesiae contraherent, contractus irritus esset, etiam si per errorem putaverint, hoc ipso se solutos ab impedimento, quòd Papa concesserit, ut ipsorum Ordinatio dispensatio quoad ipsos committatur; quia tamdiu manent legati impedimento, donec delegatus mandatum exequatur, ut per se constat; mandatum enim non continet gratiam factam, sed faciendam.

Hinc si Orator sciens impedimentum, 2226. crederet sufficere, quòd Pontifex supplicationi annuerit, & mandatum proximè adfuturum sit, oratrici persuaderet, se jam posse licite, ac valide contrahere, & ambo facto contraherent, matrimonium nullum foret; & si oratrix errore vel deceptione cognita, cum illo remanere nolle, etiam si copula intervenerit, vel Orator spondeat, se procuraturum mandatum dispensationis, valide ac licite peteret *judicio Ecclesiae* ab illo separari, nec ei declaratio nullitatis negari posset, si Oratorem conveniret apud Ordinarium, de quo dictum est in superioribus qq.

§. VIII.

An mandatum dispensationis expiret mortuo Papa?

2227. Quaestio procedit, si res adhuc sit integra? negativam sequitur Sanchez l. 8. *hic* d. 28. n. 44. quod omnino procedit, si mandatum datum sit nomine *sedis Apostolicae*; hac enim stat, etiam extincta persona, quae illam sedem tenebat; sed si data sit nomine ipsius Papae, tunc Ecclesiam gubernantis? de *Justis* l. 1. c. 6. n. 50. censet non esse improbabile, omnes ejusmodi commissiones, quae incipiunt à nomine *Pontificis*, censeri tamen factas nomine *sedis Apostolicae*, consequenter non expi-

Z z z

rare

rare mortuo Papâ: Sanchez tamen cit. n. 46. iudicat, eo casu habendas tanquam factas nomine persone, seu nomine ipsius Pontificis; ex quo sequitur delegationem, re adhuc integrâ, Pontifice mortuo, exspirare iuxta communem doctrinam, quod gratia concessa ad beneplacitum persone concedentis, extinguatur eius morte, de qua Barbof. de Clausul. Usufrequent. V. Ad beneplacitum n. 2. & hoc indefinitè videtur procedere de jurisdictione delegata nomine persone delegantis; cum solum excipiatur *jurisdictio Ordinaria* propter favorem publicum. sic Barbofa cit. n. 4. cum Sanchez l. 8. hic d. 28. n. 5. si tamen simul etiam exprimeretur *sedes Apostolica*, omnino probabile est, concedi nomine dignitatis, ut vult de Justis.

2228. Not. præterea, delegatum à Papa, quoad causam delegatam (esto alias tantum esset Vicarius Episcopi) habere eandem auctoritatem, quam habet ipse Papa c. Sanè. 11. de offic. delegat. Et ideo informationes capiendas, & depositiones testium excipiendas, committere poterit non tantum inferiori, sed etiam se superiori in alijs; & quamvis in mandato nihil dicatur de recipiendo juramento à Testibus: quia tamen, concessâ jurisdictione, concessâ intelliguntur omnia, sine quibus ipsa exerceri non potest, eo ipso etiam illud ab ipsis exigere, ac recipere valet.

§. IX.

An Contenta in mandato ante executionem verificari debeant?

2229. Ante resolut. not. delegatum in re tanti momenti exequenda, cum agat vices summi Pontificis, conscientiam ejus onerantis, debere procedere cum omni relictitudine, prudentia, & diligentia. Et ideo Trid. sess. 22. de Reform. c. 5. vult dispensationes committi Ordinarijs, qui tamen dispensare non possint, nisi causâ cognitâ, & probatis precibus; idem habet sess. 25. de Reform. c. 18. qua de causa etiam in mandato ponitur clausula: *de premissis te diligenter informes*; ex hoc enim sequitur. 1. non sufficere, quod impedimentum, super quo dispensandi sunt Oratores à Commissario, sit notorium, nisi id ipsum iste accipiat *per informationem ab alijs acceptam*, rebus diligenter examina-

tis; nam licet hæc conditio, *te informes*, tacitè insit mandato; tamen cum hoc termino *diligenter* non insit tacitè mandatis consequenter plus exigit, quam præcisè notorium, & conditio, quæ tacitè insit; ita Sanchez l. 3. d. 33. n. 34. & l. 8. d. 34. num. 26. quod confirmatur ex illis etiam verbis in mandato expressis: *& per informationem eandem preces veritate nisi repereris*. V. tamen dicenda. à n. 2233.

Sequitur. 2. informationem illam prævia prærequiri, ut formam, seu conditionem, sub qua sit commissio dispensandi, sic, ut eâ non positâ, jurisdictione non censeatur Commissario absolutè concessâ; ita Sanchez cit. d. 34. n. 26. Filiuc. tom. 1. tr. 10. p. 2. n. 354. & alij. Concessio enim facta, ut dispensetur, *si per diligentem informationem compereris preces veritate nisi*, conditionalis est, ex dictis.

Sequitur. 3. informationem in mandato requisitam cadere super omnia Pontifici narrata; hoc est, ea, quæ Pontifici posita. 1. quoad impedimentum, pro cuius dispensatione supplicatur. 2. quoad ea, per quibus gratia principaliter fundata est. nimirum causas, ex quibus Pontifex finaliter motus est ad dispensationis gratiam concedendam; sic Garaciâ de Benefic. p. 6. c. 2. §. 2. n. 225.

Sequitur. 4. non deficere mandatum, etsi aliquid ex narratis non verificetur, si illud non pertineat ad substantialia mandati, cujusmodi sunt impedimentum re propositum, secundum quod debet de jure, ut dictum est supra, & causæ pro dispensatione in tali casu receptæ; ita Sanchez l. 8. d. 21. n. 32. excipe nisi aliquid accidentale foret omisum, unde sequitur præjudicium tertio. Nam eo casu fieret exponendum de necessitate; quia Pontifex non intendit, per gratiam uni faciendam, alteri causare præjudicium, nisi hoc expresso addatur: *non obstante jure tertij*, &c.

§. X.

Qualiter verificandæ preces?

Antequam delegatus ad exequendum dispensationis mandatum procedat, ipse per diligentem informationem, constare debere de veritate precum, diximus præced. difficultas nunc est. 1. quo tempore veræ debeant esse preces? an imp-

rationis, an executionis? sed ad hoc jam constat ex dictis à num. 2078.

2234. Difficultas est. 2. an informatio, quam super veritate prius capere delegatus tenetur per testes, exigat formale testimonium ex auctoritate, vel iudiciale cognitionem? R. negative. 1. quia mandatum prius non exigat, quam ut delegatus se diligenter informet, quod fiat sine formali examine testimonium, & cognitione iudiciali. 2. quia CC. Trid. sess. 22. de Reform. c. 5. non exigit, summarie, ac extrajudicialiter fieri; sic enim loquitur Concilium: Dispensationes, quacunque auctoritate concedende, si extra Romanam curiam committenda erunt, committantur Ordinarijs illorum, qui eas impetraverint; ex vero, quae gratis concedentur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem, tanquam delegatis Apostolicis, summarie tantum, & extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis, vel obreptionis vitio non subiacere.

2235. Difficultas est. 3. an delegatus possit dictam informationem capere ab ipsis sponsis: R. sufficere, si delegatus sit pro foro conscientiae tantum. Nam ibi poenitens est reus simul, & testis legitimus; non pro foro externo. Nam hic, in propria causa disponens, non admittitur.

2236. Difficultas est. 4. an delegatus informationem recipere possit testibus receptis non jurantibus? negat Gutierrez de matr. c. 126. n. 70. sed probabilius affirmat Sanchez l. 8. d. 35. n. 16. & alij; cum ex dictis procedere possit non receptis Testibus in forma iudiciali; requiritur tamen, quod non recipiat in Testes, nisi fide dignos, de quorum integritate constet; aliàs supplementum faciendum esset majori eorum numero.

2237. Difficultas est. 5. an delegatus possit mandatum exequi in casu, quo omnia, quae probanda fuerant, coram delegato per Testes fuissent verificata, sed contrarium constaret delegato? R. posse, si ei constaret solum ex foro Sacramentali (nam notitia inde habita, extra Sacramentum, est nulla, ac perinde, ac si omnino ignoraret) non tamen si aliunde. Nam commissio ipsi est facta non utcumque etiam habita informatione; sed ipsius iudicio, ac discretioni, onerata insuper conscientia eius; ita Sanchez l. 8. d. 34. n. 21. Salas de legib. d. 20. sect. 10. n. 97. & alij. Nam

hoc sonat idem, ac, si post diligentem informationem in conscientia tua repereris, preces veritate niti.

Et ideo dicitur: discretioni tuae; quo significatur, quod debeat procedere, discretione cognoscendo, discernendo verum à falso, utile à noxio, &c. Discretio enim est mater virtutum, ut ait S. Thomas in 3. dist. 33. q. 2. a. 3. dicens: esse actum prudentia, genitricem, custodem, ac moderatricem virtutum; & sic accipitur à Canonistis, ut notat Pereyra in Elucidario num. 663. juxta. c. Praesentium. 5. q. 5. & c. 1. de Offic. Custod. Hinc explicat perspicuam, & dilucidam rerum consequentium expositionem cum maturitate, hoc est, ad leges prudentiae; quod in dato casu delegatus non praestaret, si nihilominus ad dispensandum procederet, sciens esse falsum, quod testes affirmant.

Ex hoc etiam infert Corrad. l. 8. c. 2. n. 7. 2239. quod delegatus, si cognosceret, ex matrimonio contrahendo, malum aliquod, aut grave scandalum nasciturum, poterit, ac debet dispensationem denegare. Nam quemadmodum causa secuturi verosimiliter scandali, si dispensatio negaretur, est causa concedendi dispensationem; sic causa secuturi verosimiliter scandali, si concederetur, est causa negandi; quod tamen intellige, si scandalum ex concessione praevaleret malo secuturo ex negatione dispensationis.

Difficultas est. 6. an delegatus, non reperiens veram esse causam Pontifici per Oratores expositam, possit mandatum exequi, si deprehendat adesse alias urgentiores, sed in supplicatione Pontifici porrecta non expositas? negativam sequitur Corradus. l. 7. c. 5. n. 59. de Justis lib. 1. c. 6. n. 303. Nam delegati jurisdictio non extendit se, nisi ad expressa in mandato.

In hac quaestione dubitari potest, an Pontifex, Oratoribus concedens gratiam, à suo delegato faciendam ex causa per ipsos in supplicatione expressa, sic voluntatem suam gratiosam alliget illi expresse cause, ut, nisi ea coram delegato verificetur, nolit consensum suum fortiri ullum effectum, etiamsi adsint causae aliae allegatae graviores, & urgentiores? si enim ad hoc affirmativè respondetur tunc ad casum, de quo quaeritur priori numero, respondendum erit pariter, delegatum

Zzz 2 non

non posse mandatum exequi defectu jurisdictionis, cum delegatio non reperta illa causa deficiat.

2242. Nec juvat dicere, quod Pontifex certo, ac eodem modo, imò facilius concessisset hanc gratiam, si oratores, urgentiores illas ipsi causas exposuissent. Nam hoc solum probat, quod Pontifex *habuisset* voluntatem dandi hanc gratiam etiam ex his causis; non autem, quod *habuerit*; at in his non attenditur, *quid fecisset, sed quid fecerit*. Voluntas enim, quæ non est, sed effectus, nihil operatur, sed operaretur, si poneretur, ut diximus alibi.

2243. Pro resolut. hujus dubitationis nota, quod Pontifex dupliciter consentire possit in aliquam gratiam petitam ex causa proposita. 1. *consentiendo in gratiam sub hac causa specificè, ac exclusivè*, nimirum sic, ut nisi sit hæc, prout exponitur, nolit gratiam esse concessam, esto forent alia. 2. *consentiendo in gratiam non sub hac causa, quæ tali specificè, sed generaliter*, solum positivè consentiendo in gratiam *sub ratione generica cause sufficientis* pro danda dispensatione in casu proposito.

2244. Pontificem utrovis modo posse consentire in gratiam petitam non est dubium; sed in quaestione manet, an hoc an illo modo? si enim *primo modo* consentit in gratiam exclusivè, jam ex dictis patet, delegatum, ubi repererit, non verificari causam expressam, non posse mandatum exequi; si *secundo modo*, posse. Nam illæ urgentiores causæ veniunt *sub ratione generica cause sufficientis* ad concessionem, ut ponimus; & Pontifex consentit in gratiam *sub causâ expressâ secundum rationem non specificam; sed communem, & genericam, cause sufficientis*, quibus positus:

2245. R. Videri probabilius, quando Pontifex consentit in gratiam postulatam ex aliqua causa sibi proposita, nisi aliud exprimat, aut expresso jure cautum sit, consensum ejus non alligari simpliciter causæ propositæ, *in quantum explicat talem rationem specificam* v. g. angustia loci, *sed in quantum explicat rationem communem, & genericam cause, in tali casu omnino iustæ, ac sufficientis ad relaxandam legem, & indulgendam gratiam*. Hoc enim suadet 1. pietas benignæ matris Ecclesiæ, nolentis sibi supplices ita restringere in concessione gratiarum, ut ea concessa hoc ipso careant, quod non subest hæc determinata causa, licet adsint alia urgentiores, extra culpam, dolum, & fraudem omittæ, si hæc sint sufficientes imò graviore pro eodem casu. 2. quia licet verum sit, quod non præsumatur Pontifex consentire in gratiam, relaxando legem suam, nisi ex causa; nec ex alia, nisi ex cognita, consuetudine proposita: quia tamen causa proposita v. g. angustia loci, explicat duam rationem communem omnibus causis sufficientibus ad dispensandum in tali impedimento; & rationem specificam, ex ipsa loci angustia desumptam; rectius præsumitur consentire in gratiam sub ea causa, non sub ratione differentiali, sed communi causa pro tali casu sufficientis, si revera in Oratoribus deprehendatur.

Similis casus refertur à Gobat in *Theol. experim. tr. 8. à n. 728. & seq.* ubi quidam Ordinario afferens Breve dispensationis super atate ad ordines, cui inserta erat causa, quod jam esset Diaconus, cum in re non esset. Ordinarius enim repertiens in notore alias causas sufficientes in dispensando, quæ ad concedendam eam gratiam recipi solent, consuluit Nuntium Apostolicum apud Helvetios, qui erat Fredericus Berromæus, Patriarcha Alexandrinus, is Lucernâ 6. Octob. 1660. hic eidem indicavit per rescriptum: *posse ipsum tunc, eandem dispensationem, à prefato Clerico porrigendam admittere, ea etiam de causa; cum alie fuerint rationes, quæ Sanctissimum ad ejusmodi gratiæ concessionem moverint*.

Hujus autem ulterior ratio est; quia etiam Pontifex censetur consensum suum, quocumque aliquo dispensat in lege propria, conformare juribus, & legi à se condita in casu talis actus: at nullum jus, aut lex Pontificia extat, quæ dispositum sit, consensum ejus ferri univè in gratiam sub causâ expressâ, secundum quod specificè talis est, nisi in casu particulari id in rescripto exprimat, vel in certâ materia lege cautum sit; qualiter, cum supplicatur pro beneficio titulo paupertatis, cautum est, ut supplicans mentionem faciat beneficii etiam tenuis, si quod habeat, ergo.

Dices, id exigi à stylo Curia, cui censetur Pontifex se conformare. R. Si hoc dicatur ex stylo, prout diximus jam sæpius, nimirum

nimirum notorio, & Pontificia decisione, ac declaratione firmato, objectionem procedere; non autem, si loquatur solum de illo, qui frequenter variatur, & mutatur, aut saepe inducitur ab officialibus Curiae, ut dictum est in praemissis. Nam lex, quae tantam communitatem obstringit, ut est totus populus Christianus, ex aliquo defectu, vel omissione irritans actus, quibus pro gratia fideles recurrunt ad gremium S. Matris Ecclesiae, & ipsius etiam maternum consensum (ubi ejus existentia nec moraliter certa, nec notoria est subditis) vix justa esse potest, aut proximè obligans sub nullitate actus: stylus autem ille, in quo se fundat contraria sententia, est valde mutabilis, & paucis in variatione sua notus, quoad ejusmodi dispensationes matrimoniales, imò ab ipsis Curialibus non aequè admittitur, quibusdam affirmantibus, alijs negantibus, ut patet ex casu, de quo in supra dict. & alibi n. 1169. & 2099. ergo illi non censetur in mandato consensum suum Pontifex conformare pro tali casu.

1249. Dices 2. Delegatus non potest exequi mandatum quoad gratiam *sub causa*, sub qua Pontifex non consensit in gratiam; sed in dato casu exequendo mandatum quoad gratiam in mandato contentam, illud exequeretur quoad gratiam sub causa, sub qua in eam Pontifex *nullo modo* consensit. r. quia non consensit in gratiam *sub causa non expressa*, utpote non cognita; sed nec consensit in gratiam *sub causa expressa*; nam illa non est; ergo r. concedi, quod delegatus quoad gratiam in mandato concessam nihil agere possit, quando in eam dandam sub causa in mandato narrata nullo modo consensit Pontifex; quare, licet non possit dici, quod consenserit in gratiam sub causa *nullo modo expressa*, & *ipso proposita*; satis tamen est, quod ei *causa expressa specificè*, proposita sit *sub ratione generica cause omnino sufficientis*; & sub hac ratione cause consenserit in gratiam; at sic fieri in dato casu, probabilius est, ut diximus à n. 2243. ergo.

1250. Dices. 3. ergo delegatus etiam poterit exequi mandatum dispensationis datum pro certo impedimento, licet reperiat, non esse illud, quod expressum est; sed aliud; quia praesumi poterit Pontificem consensisse in relaxandum impedimentum pro-

positum, secundum quod explicat *rationem communem impedimenti dirimentis*; non specificam, & differentialem. r. illatum admitti, quando impedimentum expressum, sed non existens, est ejusdem rationis cum noti expressio, sed revera existente in oratoribus, & hoc sub illo continetur, ut constat ex dict. supra; non autem secus, si scilicet sint diversae rationis; ratio est, nam aliud est *objectum*, in quod fertur consensus; aliud *propter quod*. Hujus enim mensura pendet à *notitia illius*; cum causa finalis, & motiva (nimirum ratio, propter quam, ut sufficientem, pro hac specie impedimenti Pontifex consentit in relaxandum impedimentum in eà specie) non recipiatur ut sufficiens ad relaxandum impedimentum in alia specie; ergo impedimentum debet esse cognitum vel in se, vel in eo, in quo continetur, tanquam minus in majori ejusdem lineae: at *objectum propter quod*, seu causa dispensandi, sufficiens pro impedimento tali, reperitur semper in causa urgentiori pro eodem impedimento, nec aliter ab ea pendet consensus in *objectum quod*. ergo.

ARTICULUS VIII.

De clausulis matrimonialium dispensationum.

Cum multa jam passim in hac materia dicta sint, ut constabit ex seq. paucis solum agam circa clausulas apponi solitas mandatis, & rescriptis dispensationum *matrimonialium*, quando earum commissio fit à Summo Pontifice, non à Penitentia-ria, de qua specialiter dicam infra. Not. autem generaliter, esse differentiam inter clausulas consuetas, & apponi solitas in rescriptis ex stylo Curiae, *consulto & volente Pontifice*; & illas, quae apponuntur *ex stylo Notariorum*. Nam haec non attenduntur, ut notat Barbosa *de claus. usu freq. in princip. n. 3. & 13.* his praemissis.

§. I.

De clausulis in genere.

Circa praesentem materiam not. 1. clausulas, quae in rescriptis Pontificijs apponi consueverunt ex stylo Curiae, decisione, ac

Zzz 3

authori-

authoritate Pontificis firmato, etiam si omissa forent per incuriam officialium, semper subintelligi; sic Felinus in *c. Cum M. 9. de Constitut. n. 6.* & patet ex ipso textu, ibi: *cum in constitutione predicta, & confirmatione Sedis Apostolica, vel fuerit, vel debuerit, sicut consuevit, esse expressum.* Talis est; *Si preces veritate nitantur*; unde illius omissione in rescripto, hoc non vitatur; sic Fagnanus. *c. Accepimus, de etat. & qualitat. n. 9.*

2253. Not. 2. clausulam dispositioni adjectam, esse interpretandam juxta usum loquendi, quo disponens utitur; sic Marta *de clausul. p. 4. claus. 29. n. 4.* & saepe unam declarari per aliam; cum in legis interpretatione principaliter attendi debeat intentio disponentis sub terminis illi adjectis, quibus declarat vel per extensionem, vel restrictionem, mentem suam; & quia in rescripto Princeps censetur se conformare juri communi nisi aliud exprimat; etiam clausula illi adjecta reduci debet ad statum juris communis, ubicunque sita reperiatur; sic Fagnanus in *c. Causam, qua, de Rescript. n. 2.* ubi rubrica habet, quod ordo rescripti interpretationem recipiat a jure communi.

2254. Not. 3. quando clausula adjecta restringitur ad certum finem, vel casum, ejus interpretationem, ac determinationem esse recipiendam ab eodem fine, & casu; quia censetur apposita secundum naturam rei, de qua disponitur. Et ideo lex interpretans fieri debet secundum clausulam Legis interpretatae; & omissa, nihilominus in illa censetur repetita. Nam expositum, & exponens debent esse aequipollentia. Et ratio ulterior est, quia una clausula secundum diversos respectus diversimode accipitur, ut notat Fagnanus in *c. omnis, de penit. & remiss. n. 31.*

2255. Not. 4. alias esse clausulas, quae apponuntur *in puris narrativis* (ut, cum narratur factum aliquod sub certis clausulis) alias, quae *in dispositivis*; illas non attendi, sed tantum istas, docet Rebuffus *consil. 34. n. 17. & consil. 47. n. 7.* apud Barbof. *cit. n. 9.*

Not. 5. clausulas, quae ab Oratoribus appositae sunt in supplicatione, solum effectum operari, licet non legantur in literis mandati expeditis. Nam etsi non sit judicandum secundum clausulas supplica-

tionis ante literas super ea expeditas propter regulam; *de non judicando juxta formam supplicationis*; secus tamen est, si literae jam expeditae sint. Nam ex eis cognoscitur mens disponentis; ut notat Barbof. *cit. n. 10.* cum alijs ibid. relatis.

Not. 6. clausulam, *in medio* positam, referri ad proxima, non autem ad omnia praecedentia, ut fuisse probat Fagnanus in *c. Nulli de Reb. Eccl. non alien. n. 14.* positam autem *in fine*, referri ad omnia praecedentia. Utrumque ostenditur in casu regulae de rebus Ecclesiae non alienandis, ubi prior clausula in medio afficit solum casum de non emphyteutico, non autem omnem speciem alienationis; posterior autem in fine non tantum unam, sed omnes praecedentes. Sed hoc in multis limitatur.

Not. 7. Cum ex clausulis quaedam sunt, quae *tacite insunt* mandato dispensationis seu subintelliguntur in mandato, etsi non exprimantur, ut dictum est, eas non esse suspensivas juxta communem regulam traditam de conditionibus appositis *ibi, &* secus tamen dicendum, si aliter exprimantur, quam insunt, juxta ibid. dicta a n. 775.

§. II.

De particularibus quibusdam clausulis dispensationum matrimonialium.

Inter praecipuas est haec: *si preces veritate niti repereris.* Circa hanc clausulam. Not. 1. per eam rescriptum, seu mandatum dispensandi reddi *conditionatum*, sic, ut conditione non subsistente, nullum habeat effectum; sic Conradus. *l. 7. dispens. Apostol. c. 6. n. 27.* Nam etsi haec, *si preces veritate nitantur*, tacite insit mandato, ut diximus n. 348. si tamen sic apponatur: *si preces veritate niti repereris*, aliter exprimitur quam insit, consequenter juxta dicta a n. 771. mandatum reddit suspensum donec *delegatus* per diligentem informationem *comperiat, preces veritate niti.* Et ideo, antequam verificata sit, nullum tribuit jus in re, vel ad rem; sic Gonzalez in *annotat. ad 8. Reg. Cancell. Gloss. 19. a. n. 232.* quia nimirum conditio adhaerens

pendet, sine qua delegato nullum jus committitur. Not. 2. prædictam clausulam referri quidem ad omnia narrata verificanda, sed *sola substantialia*, nimirum ea, quæ concernunt impedimentum relaxandum, & causas finales, seu motivas, quæ allegatæ sunt, tanquam causam, ex qua iuste moveri possit, & soleat mandans relaxare legem suam in dato casu, ut dictum est in superioribus.

1219. Not. 3. Oratores, qui obtinuerunt mandatum dispensationis in certo, quo laborant, impedimento, interrogatos à Commissario, *an non laborent alio adhuc impedimento?* non teneri fateri, si alio etiam impediri sint, sed *prorsus occulto*, in quo dispensati jam sunt pro foro conscientie; neque per hoc, quòd non fateantur, à verificatione necessaria deficere dictam clausulam, si preces &c. nam hæc non appellat super ea, quæ omnino occulta sunt, adeoque informatio super his non est in commissione; sic Corradus *cit. l. 7. c. 6. n. 23*. Et ideo clausula, *modo aliud impedimentum canonicum non obstat*, mandatis apposita, solum intendit removere impedimenta expressa. Hinc si adessent alia, præter impedimentum expressum, super illis nihil operaretur dispensatio, sed ea relinqueret, prout aderant ante factam dispensationem.

1220. Dixi, *quæ omnino occulta sunt*. Nam si, etiam, postquam à sacra penitentiaria dispensatum est pro foro tantum interno, denunciatur, aut denuntiatum sit coram Parocho, vel Ordinario, eo ipso foret publicum, & necessaria foret dispensatio, quæ constat in utroque foro, de quo Sanchez *l. 3. hie d. 15. n. 15*. alias enim, si nondum contraxerunt, interdicti debent, vel, si jam contraxerunt, thoro separandi (ut obvietur scandalis) dum dicta dispensatio sequatur saltem in forma *perinde valere*. Hic tamen discrimen faciendum est, quando impedimentum, quod fuit occultum, & à penitentiaria jam dispensatum, denunciatur est Parocho, vel Ordinario. Nam si prius jam contraxerunt, ad denuntiationem tantum unius testis, nec evadit publicum; nec est periculum peccati, cum sint veri conjuges, nec eo casu illud delegato etiam interroganti fatendum esset, cum sic non interrogetur iudicè, ut dictum est, & tenet de

Justis *l. 1. c. 8. n. 161*. secus, si nondum contraxissent, tunc impediri possent iuxta dicta.

Secunda clausula est: *Tuam conscientiam oneramus*. Per hanc denotari dicitur, quòd *electa sit industria persone*, sic, ut jurisdictionem sibi commissam delegatus subdelegare non possit; sic Menoch. de arbitrar. *Jud. l. 1. q. 68. n. 2*. sed hoc intellige *quoad solum ministerium*, seu actum dispensandi, ut jam notavimus. Hæc clausula tacite inest omnibus commissionibus, & mandatis. Nam Judices, ac mandatorum Executores, omnia facere tenentur secundum bonam conscientiam, ut dicitur c. 1. de Re judic. consequenter non suspendit commissionem, nisi aliter exprimat, quam inquit, ut diximus paulo antè. Ejus effectus est. 1. quòd censeatur in tali commissione remissus juris rigor, & dispensatio arbitrio boni viri remissa, ut possit sequi æquitatem, ut notat Barbosa de clausulis, *claus. 24. n. 2*. Alter effectus est, quòd, cum totum Commissarij conscientie graviter obligatæ terminandum deferatur, delegatus non teneatur deferre appellationi, si ab ejus sententia appelletur. Tertius est, quòd delegatus non teneatur procedere cum cognitione judiciali, ut jam notavimus in præcedentibus.

Tertia clausula est; *dummodo copula non intercesserit*. Sed hodie, ut diximus iteratò, non amplius apponitur commissionibus dispensationum. Ejus tamen intelligentiam, & effectum, etiam in casu, quo apponeretur, jam exposuimus in questionibus antè resolutis.

Quarta, *dummodo mulier, propter hoc rapta non fuerit*, solum intelligitur de raptu ad effectum matrimonij. Nam id denotatur per verba: *propter hoc*, nimirum matrimonium incundum; ista clausula per 49. Reg. Cancell. ut notat de Just. *cit. l. 1. c. 6. n. 345*. in quibuscunque dispensationibus matrimonialibus apponi debet, & consequenter omnia semper subintelligitur, atque adeo omnibus inest tacite, non natura, sed juris dispositione. Ejus effectus est, quòd suspendat mandati executionem, si delegatus comperiat, præter impedimentum, cujus dispensationem faciendam continet mandatum, intervenire raptum, qui præstat impedimen-

pedimentum dirimens matrimonium, & quidem, dum etiam super hoc impedimento mandatum aliud obtineatur.

2263. Dices: Conditiones, & clausulae, quae tacite insunt, statim validant, si subsistunt; & si non subsistunt, statim invalidant dispositionem, cui insunt: ergo cum haec clausula tacite insit mandato, si revera mulier rapta sit, mandatum non suspenditur, sed invalidatur. *Re. ant. verum esse, quando non aliter, ac inest, in dispositione exprimitur, ut dictum est: in his autem mandatis, cum delegato incumbat dispensare, si per informationem repererit, raptum non intervenisse, aliter exprimitur, ac inest, ut in simili diximus a num. 2258.*

2264. Unde not. quod clausula, quae tacite inest mandato, si subsistat, non impediat jurisdictionis commissionem, sed tantum ejus exercitium, ut notat Barbosa *cit. clausula 166. n. 9.* qualiter in simili diximus aliquid a n. 227. Et ideo doctrina Barbosa *ibid. n. 8.* dicentis, quod clausula (*si preces veritate nitantur*) nec faciat conditionem, nec jurisdictionem fundet, sed instructionem tribuat ad procedendum, sic indefinite prolata, admitti non potest. Nam etsi verum sit, quod ea clausula, in quantum inest mandato, non faciat conditionem proprie dictam, seu suspensivam, ut diximus num. 2258. fallit tamen in casu, quo exprimitur cum addito: *si repereris preces veritate niti*, ut notatum ibidem. Deinde fallit in eo, quod dicatur non fundare jurisdictionem; si enim, in quantum tacite inest, subsistat, mandatum, quo jurisdictione committitur, ceteris subsistentibus evadit purum, licet usus maneat suspensus, ut dictum est.

2265. Si mandatum dispensationis habeat hanc clausulam: *denum, si tibi expediens videbitur*, duo significantur. 1. quod in eo casu Pontifex non absolute mandet dispensari cum dictis Oratoribus, sed solum *si delegato videbitur expediens esse*, ut dispensentur. 2. quod, si ei visum fuerit ex aliqua causa expedire, ne dispensentur, illum posse negare dispensationem, etiam ceteris omnibus verificatis. Nam hoc importat verbum *denum*, appositum illis verbis: *si tibi expediens videbitur*; si enim importat commissionem solum, si

& quantum delegato videbitur. Unde denotat arbitrium boni viri, non autem liberam voluntatem. sic Menoch. *de arbitr. Jud. l. 1. g. 8. a n. 1.*

Quando autem Barbosa *cit. clausula 11. n. 2.* dicit: quod arbitrium boni viri intelligatur: quod faciat ita cum altero, ut vellet fieri in rebus suis; accipiendum est de voluntate in rebus suis *justa, secundum Deum, & conscientiam*; si enim sibi aliquid fieri vellet, vel ipse faceret in rebus suis, quod illicitum, & iniquum est; non posset id facere alteri, quod sibi, nisi pariter illicite, ac inique.

Verba: *discretionis tuae*, important arbitrium regulatum ex legibus prudentiae, in capienda informatione super commisso negotio, & matura deliberatione, nam exequi mandatum expediat, etiam postquam omnia, quae verificari oportebat, intellecta, ut notat Menoch. *cit. l. 8. n. 26.* & dictum est aliquid in superioribus. Ea vero, de qua, in his *speciales in Domino fiduciam obtinemus*, denotant idem ac si diceretur, *confidimus de tua fide quod ea, quae tibi committimus, fideliter exequeris*, secundum quod oportet, ut diximus n. 2261. ac exigit Trid. relatum supra.

Pvrrhus Corradus *l. 7. in praxi dispens. Apostol. l. 7. c. 6. n. 4.* docet, ijs verbis: *per Apostolica scripta mandamus, secundum regulas Cancellariae caveri, quod dispensatio non suffragetur, nisi literis confectis*; quod verum esse vult, etiam si ipsa dispensatio fuerit per Papam viva voce oraculo concessa; atque adeo etiam in hoc casu requiri literas, saltem ad evitanda inconvenientia, quae ex sola verbalis dispensatione sequerentur, ut, si non bene intellecta fuerint verba.

Diana *p. 8. tr. 3. resol. 74.* apud Gobat in *Theol. experim. tr. 9. n. 669.* censet, in foro conscientiae valere dispensationem, quam primum Pontifex, vel potestatem ab ipso habens, dicit: *dispensamus*, aut, *fiat*; licet in foro externo solum, postquam expeditae sunt literae dispensationis; secundum, probans ex Regulis Cancellariae; primum autem inde, quod valor, & efficacia voluntatis Pontificiae nullo modo pendeat a scripturis; ergo quam primum ea expressa est verbis, obtinet vim suam. Et ideo Praepositus in *3. p. 9. 8. de matrim. disp.*

dispens. deb. 7. apud Dianam infert hanc conclusionem: *uti potest dispensatione, & matrimonium contrahere is, cui à fide digno est significatum, Pontificem dispensare, etiamsi litera nondum missa sint.*

In horum confirmationem affert *cit. Gobat n. 670.* casum cum quodam (qui intellexit ex uno Solicitatorum apud Romanam Curiam, esse quidem dispensatum cum ipso, literasque desuper confectas, Officiali delegatas ex inscriptione, sed obstare pestem, quò minus tutò mitti possint) nihilominus dispensatum ab Officiali, sic faciendum rescribente Nuntio Apostolico apud Helvetos, de quo in supra dictis, & addente: *quò fides merito haberetur literis illius Solicitatoris.*

2268. Cùm autem hæc opponi videantur doctrinæ, de qua Corradus n. priori, & plura inde, fortassè non concedenda inferri possint, & exigi ab Oratoribus, hanc doctrinam, de qua à n. cit. legentibus, cum molestia delegatorum, not. 1. rectè concedi valere in foro conscientie dispensationem, quæ continet *gratiam factam à Pontifice*, ut primùm hic dicit: *dispensamus, vel fiat*, quod petitur, si supplicatio continebat petitionem gratiæ per ipsum, sine commissione, faciendæ. Nam in hoc saltem casu obtinet, quod Diana supra n. priori dicit: *valorem, & efficaciam voluntatis Pontificie non pendere à scripturis.* Nam, quòd *nullo modo* pendeat à scripturis, prout Diana loquitur, nimis indefinitè dicitur, nec procedit. Etsi enim verum sit, quòd possit efficaciter facere gratiam sine omni scriptura, solà voce, si velit; si tamen suæ voluntatis efficaciam restringat (uti potest, & pluribus facit, prout constat ex Regulis Cancell.) ad eventum scripturæ confectæ, expeditæ, presentatæ, &c. certum est, quòd à scriptura pendeat, nec ante illam quidquam operetur etiam pro foro conscientie, si ita velit.

2269. Not. 2. si Pontifex ipse dispensans cum Oratoribus, gratiam restringat ad tempus, quo literæ, vel confectæ, vel expeditæ sint, eos nec in foro interno esse dispensatos ante dictum eventum; an autem, cùm ipse Oratoribus facit gratiam, eam sic restringat, cùm nihil exprimit, judicandum venit juxta regulas Cancellariæ, non quidem pro foro interno (nam

Tom. II.

hæ respiciunt officium Curialium in ordine ad rerum expeditiones in foro externo) sed pro isto. Hinc in dato casu gratiæ ab ipsomet Papa factæ, dispensati censendi sunt in foro interno, ex sola illius voce; pro externo autem, non nisi literis, saltem confectis, ut ex Corr. notavimus n. 2267.

Not. 3. eam doctrinam in n. 2267. quòd 2270.

Oratores dispensati sunt pro foro conscientie hoc ipso, quòd Pontifex, vel à ipso potestatem habens dicat: *dispensamus*, vel *Fiat*, acceptam universaliter, non posse admitti, si agat *de gratia faciendâ*. Ex hoc enim, quòd Pontifex actu mandet, ut alicui scribatur, quòd ipsi committat potestatem cum N. & N. dispensandi, nec in foro conscientie, minus in foro fori dispensati sunt; nam impedimentum non mandato, sed dispensatione tollitur; mandatum enim non est dispensatio. Nec ea doctrina procedit in delegato, esto dicat: *dispensamus*, vel *Fiat*, si hoc contingat, antequam jurisdictionem habeat *in actu*. Nam etiam delegatus hoc ipso, quòd Pontifex alicui det mandatum dispensandi, confectis super eo literis, etiam ante illius presentationem, recipiat jurisdictionem *in habitu* juxta id, quòd docet Corradus l. 7. c. 6. n. 5. ex cit. ibidem juribus: non tamen habet *in actu*, sic nimirum, ut ejus usus non sublit legi, usum præcisè annullanti, si fiat ante presentationem, ac receptionem literarum, & ea, quæ vi commissio nis præmittenda sunt, ut ex dictis constat.

Circa id, quòd n. 2267. assertur ex Prae- 2271.

posito, Oratorem uti posse dispensatione, & matrimonium contrahere, cui à fide digno est significatû Pontificem dispensasse, etiamsi literæ nondum missæ sint, not. 4. posse doctrinam admitti pro foro interno, si loquatur *de gratia jam factâ*; quia sic actu sublatum est impedimentum, & gratia illa, quoad forum poli, non pender à literis, ut diximus n. 2268.

Dixi: *si est gratia jam factâ*. Nam si est. 2272.

set primò *faciendâ* per Commissarium, seu delegatum, nec in foro poli, seu conscientie, vel licitè, vel validè contraheret ante literarum executionem à delegato; quia sic, impedimento nondum sublato, contraheret. Excipe casum, de quo *cit. n. 2267.* ex Gobat supr. §. *in horum*; si literæ jam confectæ, ac expeditæ, propter obstans impedimentum v. g. contagionis,

A a a

belli,

belli, &c. ad delegatum mitti non possunt. Nam ejusmodi casu nec quidem ex regulis Cancellariæ videtur restrictum mandatum, ut, nisi originaliter receptum sit à Commissario, nullam executionem habeat, si aliunde constat per fide dignos, revera factam commissionem, &c. Advertendum autem ex Barbosa in Repertor. V. *Gratia*, gratiam videri absolutam, & *factam*, signatâ supplicatione per verbum *fiat*, ut colligitur ex *c. si Apostolica, de prebend. in 6. & c. tibi, qui. 12. de rescript. in 6.* etiam literis non expeditis juxta *Gig. de pension. q. 40. à n. 2.* requirentem litterarum expeditionem *ad effectum agendi*. Ex quo vides, expeditionem litterarum quando *gratia facta est*, requiri solum pro externo foro, ut, si ratione impedimenti, quo quis affectus erat, matrimonium ejus impeteretur, exhibitione litterarum se tueri possit.

2273. Not. 5. in mandatis dispensationum matrimonialium, quæ diriguntur ad Vicarium Episcopi, apponi hanc clausulam, *depositâ omni spe cujusunque muneris*, quâ significatur ejusmodi delegatum, ab Oratoribus, vel uno eorum, nullum omnino munus, vel præmium pro labore, quem exequendo impendit tali mandato, debere accipere, ad eò quidem, ut contrafaciens, excommunicationis læte sententiæ penam incurrat, ut patet ex ipsis mandatorum verbis. Si autem mandatum, ut quandoque fit, petentibus ipsis Oratoribus, dirigatur ad ipsum Episcopum, eidem injungitur, ut, si munus, aut præmium qualecunque exegerit, aut oblatum receperit, eo ipso à jurisdictione, & pontificalium exercitio, fructuumque mensæ suæ perceptione, tamdiu suspensus existat, donec à sede Apostolicâ relaxationem suspensionis hujusmodi per satisfactionem condignam meruerit obtinere.

2274. Denique in dispensationibus matrimonialibus, quæ conceduntur *in forma pauperum*, apponitur etiam pœna nullitatis absolutionis, & dispensationis, ibi: *& nihilominus absolutio, & dispensatio hujusmodi à refaciende prædictæ, nullius sint roboris, vel momenti*, teste Garcia de *Benefic. p. 1. c. 1. n. 108.* Circa hanc clausulam quaeritur. 1. an Vicarius recipiens munus aliquod pro sua functione in executione mandati pro dispensatione matrimo-

niali, peccet? Videtur enim, quòd notam Pontifex in fine illius clausulæ solum dicit: *à quo, te omnino abstinere debemus*; hoc enim verbum importat potius consilium, quàm præceptum: sed omnino affirmativè dicendum est; cum in fine mandati addatur altera clausula, quâ, *spretâ hac monitione*, aliquid muneris, aut præmij, recipientibus imponitur excommunicatio læte sententiæ, quæ utique supponit culpam gravem. Unde ergandum est, per verbum, *monemus*, de notari solum consilium, quando cadit in materiam aliunde graviter debitam, qualiter fit in præfenti. Nam pro actu jurisdictionis Ecclesiasticæ (qualis est dispensatio in impedimentis matrimonij) aliquod temporale exigere, vel recipere per modum pretij, vel compensationis, Simoniacum est, ut passim dicitur in Tit. de Simon. quod extendit Castropalaus p. 1. c. 17. d. 3. p. 12. n. 10. esto daretur, vel acciperetur *in sustentationem dispensationis*, dicens, hanc conclusionem esse certam ex Trident. *sess. 22. c. 5. & sess. 24. cap. de reform. sess. 25. c. 18.* cum D. Thome, & alijs.

Quæritur. 2. an delegati ad dispensationes matrimoniales, non obstantia clausula, saltem *pro labore*, receptione, & examinatione Testium possint aliquid exigere, sic, ut datum, & receptum non sit compensatio actus, in quantum est exercitium jurisdictionis spiritualis; sed in quantum est actus laboriosus, pretio estimabilis? Prima sententia tenet, ubi consuetudo inducta est, posse; quia clausula prædicta loquitur solum de receptione muneris, & præmij, etiam sponte oblatis; non autem, *stipendij* laboris impendi; quia *stipendium*, propriè non habet rationem muneris; ita Sanchez l. 8. de matr. d. 35. n. 11. & Salas de *Legibus. d. 20. sess. 10. in fine.* Secunda negat, etiam eo titulo quidquam exigi, vel recipi posse, etiam gratis oblatum; ita Navar. l. 1. *consil. ult. Zercla. in Rescript. in edit. 2. consil. ult. Zercla. in praxi Episc. p. 2. V. Delegatus. §. 2. & V. Dispensatio. §. 1.* & alij, quos citat, & loquitur Castropalaus *cit. num. 11.* his præmissis:

§. 1. ejusmodi exactionem, vel receptionem muneris, seu præmij, titulo laboris secundum se, in meritum stipendium

non esse actum Simoniacum; quia hic non intervenit temporale pro spirituali; sed temporali; sic Castropalaus *cit. 2. Secundo ad verro.* Loquimur autem de solis actibus recipiendi, & examinandi testes, & similibus.

2277. Re. 2, eam exactionem, vel receptionem rei temporalis pro ipso actu jurisdictionis spiritualis, omnino esse Simoniacum; sicut enim iste est quid spirituale, & res illa, ut ponitur, quid temporale; intellige, si fiat in compensationem ejus. Nam in hoc est vitium Simoniacum, quod spirituale temporali, tanquam per illud compensabile, aestimetur.

2278. Re. 3, esto, quod Ministris Ecclesiae datur, & ab illis etiam exigitur ad congruam, & decentem sustentationem, sine qua fidelibus non possunt prestare ministeria sacra, non sit Simoniacum, aut alio titulo illicitum; si tamen exigeretur *ut laboris stipendium*, saltem in casu dispensationum matrimonialium, fore turpe lucrum, nimirum interdictum per eam clausulam *deposita omni spe, &c.* sic Castropalaus *cit. num. 8.* & alij. Ratio hujus est. Nam hoc significant ea verba: *deposita omni spe cujuscunque muneris & premij*; quia nomine muneris veniunt *donativa* & nomine *premiij*, *stipendium*, merces, & laboris compensatio, ut exponit Farinac. Volum. 4. *sess. 22. c. 3. de Reform. V. cognoscatur.* Nec est expositio aliena à mente Pontificum. Nam ita declaravit S. Congreg. CC. Trid. dicens, dictam clausulam intelligi, ut nemo (nisi Notarius pro examinandis testibus, & capiendis informationibus quartam partem aurei seu ducati) quicquam, etiam pro mercede laboris *recare suscepti, vel alio quovis titulo*, recipere possit, de quo V. Corrad. l. 7. c. 6. n. 14. & alij.

2279. Dices: saltem, vi ejus clausulae, non veniunt inter prohibita munera, *esculenta*, & *potulenta*, quae paucis diebus consumi possunt. 1. quia haec sunt modica, nec tantam vim habent corrumpendi animos Judicum. 2. quia id conceditur in *c. statutum. S. Insuper.* de Rescript. *Re. probabilius negati illatum*; cum expressè prohibeatur acceptio *cujuscunque muneris*, & *premiij*; & excommunicatione puniatur Vicarius, contra prohibitionem recipiens *aliquid*; quo satis clarè, repetitâ

Tom. IV.

prohibitione, Pontifex ostendit, esse intentionem suam, ut *gratis omnino*, sine ullius etiam modicæ rei acceptione, mandata dispensationum matrimonialium executioni dentur. Ad alterum ex *c. statutum Re. esse casum diversum*. Nam ibi non agitur de delegato ad dispensandum in matrimonio, sed ad *lites*, quae commissio communiter diu durat, & eget labore magno, consequenter digna est magno stipendio, cujus comparatione ejusmodi esculenta modica sunt, & vix considerantur; at commissio in nostro casu est brevissima: ergo.

ARTICULUS IX.

De dispensatione matrimoniali in forma pauperum.

Ante resolut. not. 1. jurisdictionem dispensandi in impedimentis matrimonij committi de stylo Curiae Romanae, quandoque in forma pauperum, nimirum sub clausula: *dummodo ipsi pauperes, & miserabiles existant, ac ex suis labore, & industria tantum vivant*; nam quando commissio caret eâ clausula, dicitur facta in forma Ordinaria. Not. 2. dispensationem matrimonialem in forma pauperum, solum concedi ad succurrendum mulieri aliâ (nisi dispensetur) subitaur periculum vel honoris amittendi, vel non aliter reparandi. ut notat de Justis l. 1. c. 7. num. 1. Vide tamen, quae dicam infra à n. 2283. & seq.

Not. 3. ex eod. n. 5. hujus dispensationis praxim ita se habere, ut Orator, si non plus, quam centum milliaribus distet ab urbe, teneatur personaliter ad urbem accedere, & pro dispensatione supplicare; quod tamen sic limitat, ut si impedimentum dispensandum sit infra secundum gradum, & ipsi talis accessus sit moraliter difficilis, excusetur à personali accessu, ita tamen, ut ipsius Ordinarius, in fide paupertatis, simul testetur etiam de dicta difficultate. Si autem impedimentum dispensandum sit intra secundum gradum consanguinitatis, vel affinitatis, requiri personalem Oratoris accessum ad urbem, ut in forma pauperum dispensetur; nec ab isto accessu excusari, etiam si sit longa distantia, & labore maximâ paupertate, & vitio corporis (ut est esse caecum, claudum, debilitatum) dummodo iter arripere possit.

Aaaa 2

Haec

Hæc dicit de Justis *cit. n. 6.* sed mihi persuadere non possum, ista tam severè à benigna matre Ecclesiæ exigì (propter solum terminum *in forma pauperum*, & ejus effectum de quo n. 2285.) tibi aliàs sunt iustæ, & graves causæ; his præmissis:

2282. Cum in ejusmodi dispensationibus, difficultatem potissimam faciat. 1. clausula, *dummodo ipsi pauperes, & miserabiles existant.* 2. Attestatio ordinarij super oratorum paupertate, ac miserabilitate, vel (si ipsi Romam accedere non possint) legitimo impedimento. 3. de reliquis operibus, quæ prius peragenda injunguntur rite peractis: breviter ea subjungemus, quæ ad rectam illorum intelligentiam requiruntur.

§. I.

De paupertate Oratorum.

2283. Cum prædicta clausula (*dummodo ipsi pauperes existant*) importet conditionem, verificandam ante mandati executionem, quæstio est, quo sensu (ad mentem Papæ clausulam illam apponentis mandato dispensationis) intelligendum, consequenter verificandum sit, *oratores esse pauperes?*

2284. Pro Resolut. not. 1. inter *inopem, egenum & pauperem* esse aliquam differentiam, ut notat Benedict. Pereyra in *Elucidario utriusque juris n. 581.* secundum quem *inops* dicitur, qui nihil habet; *egenus*, cui defunt vitæ necessaria: *pauper* in jure, qui non 50. aureos habet in bonis, teste Bartol. *L. nonnulli. ff. de Accusat.* & subjungit: igitur *pauperum* appellatione veniunt non solum mendicantes, sed etiam habentes congruam sustentationem, qui tamen attento statu personæ, & dignitate videntur indigere; ita Mascard. *de probat. conclus. 1154. n. 14.* Titiaq. *de pia causa in præf. pag. 10.* Bartol. in *l. 1. n. 35. C. de sacros. Ecclesiæ*, & *Surdus de aliment. tit. 1. q. 93. n. 30.* ubi n. 33. subdit *pauperem* dici, qui habet multas filias nobiles; *pauperum* quoque appellatione veniunt carcerati, & carcere detenti: quibus proinde erogari poterit legatum, sive reliquum factum pauperibus, ut tenet Salicet. in *L. Judices. C. de Episc. aud.*

Not. 2. olim dispensationes *in forma pauperum* non fuisse expeditas, nisi cum clausula: *dummodo ipsi pauperes existant;*

quia verò deprehensum est, quosdam titulo paupertatis usos, non fuisse mediè tam destitutos (ut non potuerint solvere compositiones, aliæque jura officialium) tempore Urbani VIII. constitutum fuisse, ut ad occurrendum ejusmodi fraudibus, deinceps adderetur clausula: *dummodo ipsi pauperes, & miserabiles existant, ac ex suis labore, & industria tantum vivant;* ita Corrad. *l. 8. c. 5. n. 4.*

Ex hoc colliges, quòd dispensatio *in forma pauperum*, præter effectus, quos habet dispensatio *in forma ordinaria* relative ad liberandum ab impedimento dirimentis, liberet etiam à *solutione compositionum, & consuetorum jurium, Officialibus Romane Curie, cæterorumque debitorum*, ut tenet Corrad. *cit. n. 2.* consequenter, ne his fraudentur, totam dispensationis vim (superpositis cæteris) fundari in paupertate, & miserabilitate oratorum, eximite illos à onere solvendi compensationes, & officialium jura.

Colliges. 2. cum certum sit, in ambiguis potissimam rationem cognoscendam sensum, & intentionem legis, sitam esse sine fine legis, per eum actum, vel omissionem intento, rectè verificari observantiam legis, qui est conformis fini, per legem intento; cum ergo finis ejus clausulæ sit cavere, ne ficta paupertate, impetretur dispensatio *in forma pauperum*, ne compensationes, & Officialibus Curie fraudentur iuris suis, eà paupertate oratorum, illa non solventium, dicta clausula verificabitur, quæ revera fit, quòd ea onera *morantur*, seu considerato ipsorum statu, & proventibus, prudentium judicio solvere non possint.

Hinc colliges. 3. clausulam: *si ipsi pauperes existant*, sufficienter verificari, si oratores ambo (nam hoc exigitur) in bonis non habeant 50. aureos, ut notavimus n. 2284. & tenet etiam Corradus *cit. n. 11.* dixi *in bonis*, non attendendo rem, sed annuum ex illa proventum, considerato eorum statu, & qualitate eorum quoad decentem sustentationem, ut notat de Justis *l. 1. c. 7. n. 69.* quare nisi ultra decentem sustentationem habeant, ex quo compositionem, & Officialium Romane Curie jura solvant, verè pauperes sunt, prout exigitur, ut verificetur ea clausula (*dummodo ipsi pauperes existant*) præcisè confiderata.

§. 11.

De miserabilitate Oratorum.

288. Not. 3. per *soluionem compositionis* hic intelligi certam quantitatem pecunie, pendendam ab oratoribus, qui in certis matrimoniorum impedimentis dispensari volunt. Duplicem causam hujus compositionis, seu pecunie ab oratoribus persolvende assignat Corradus *cit. l. 8. c. 5. n. 3 3. & seq.* Prima est, quia si gratis passim concederentur dispensationes impedimentorum, vix esset, qui non molestaret Curiam, ubi levis etiam spes affulgeret matrimonij melioris cum impedita; ne igitur hoc fiat, compositio exigitur, ut *saltem impensarum timore deterriti* desistant à petendo, secum dispensari.

Altera est, quia, cum Papa, & Sedes Apostolica multis subit necessitatibus, & oneribus, præsertim pro propaganda, tuendaque fide Catholica, præbendo larga subsidia Principibus Catholicis contra hostes veræ fidei, ut constat in tot, ac innumeris propè casibus; justum omnino est, ut, ubi legem suam, in gratiam fidelium, pro certis casibus relaxat, ab ipsis etiam reciprocè juvetur in sustentandis oneribus; quæ incumbunt in dies, pro salute Gregis, & Ecclesie à Christo sibi commissæ.

289. Dices in CC. Trid. *sess. 24. c. 5.* dicitur, ubi iusta causa dispensandi subest, debere dispensari *gratis*. Respondet Corradus *cit. n. 34.* id habere locum *in compositionibus*; non autem *in mercede*, quæ propter bullarum expeditionem solvitur; & sic responsum à S. Congreg. CC. imò Garcia *de Benefic. p. 8. c. 2. n. 101.* nec respectu compositionis servari propter necessitates, & onera Papæ, ac Sedis Apostolicæ; sic illi; quod etiam habet Barbof. in *cit. loco Trid. n. 22.*

290. Non est dubium, in decretis CC. Trid. salvan esse auctoritatem summi Pontificis (ut habetur *ibid. sess. 25. c. ult. ibi: Sancta Synodus omnia, & singula*, sub quibuscunque clausulis, & verbis, de morum reformatione, & Ecclesiastica disciplina *statuta, declarat, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ esset, & esse intelligatur*) non tamen ab ijs recedendum est, nisi constet ipsius summi Pontificis factò, vel mandato, talem recessum, in certo casu, firmatum esse.



Hæc circumstantia, quòd oratores sint *2291. Miserales*, primùm à tempore Urbani VIII. ut dictum est, additur mandato dispensationis *in forma pauperum*, ne per affectatam paupertatem, impetratà dispensatione *in forma pauperum*, iraudentur officiales Curie juribus suis, & dolo impetretur remissio solvendi compositiones. Hinc inferunt communiter Curiales, qui experientiam suam typis mandarunt, hodie, tibi apponitur ea clausula [*dummodo ipsi adeo pauperes, & miserales existant, quod ex labore, & industria sua tantum vivant*] requiri, quòd verificetur, & oratorum paupertas, & miserabilitas, non qualiscunque, sed *quæ non habeant, unde vivant, nisi tantum ex labore, & industria sua*; ita Corradus *cit. l. 8. c. 5. à n. 14.* cum Parisio *de Resign. benefic. l. 16. q. 1. n. 15.* causam reddens: *quia aliàs facile fraudarentur officiales Curie, debitis suis emolumentis.*

Not. autem i. eam circumstantiam: *2292. dummodo miserales &c.* teste Corrado *l. 8. c. 5. n. 4.* à tempore Urbani VIII. *addi ab ipsis officialibus*, & quidem, si ex mente summi Pontificis (secundùm dicta sæpius) non est dubium, & servandam, & verificandam esse; sed difficultas est, ex quo capite quis rectè probet; prout hic exigitur, *se miserabilem esse*, ad effectum impetrandi legitimè dispensationem *in forma pauperum*? Corradus *cit. à n. 12.* ait: *pauperem* hoc loco dici, qui non habet in bonis 50. aureos; *miserabilem*, ad cuius commiserationem nos natura inclinatur: sed hoc ipsum valde obscurum est, & super his nec inter ipsos ejusmodi Curiales convenit, ut, videri potest apud Corradum, & de Justis *loc. cit.* Rebus igitur, & sine, propter quem hæc clausula apponitur, consideratis, salvo meliori iudicio, existimo *paupertatem* sufficienter verificari in eo, qui *necessè habet sibi querere vitium labore suo*, ut ait Gloss. in *L. Paupertas. ff. de Accusat. iur. Port. & §. Non tamen Instit.* quibus ex causis: *miserabilitatem* autem, si *tantum* labore suo; *nec alio modo*, sustentare se potest. Et ita sentire videtur de Justis *cit. n. 84.* Cujus ratio est, quia

quia sic uterque terminus sortitur suum effectum, & quidem quilibet alium, ut patet consideranti.

2293. Ex dictis colliges, adhuc verificari clausulam, quod oratores *pauperes & miserabiles* existant, si revera *potior* sustentatio eorum, solum nascatur ex labore, ac industria ipsorum, ita ut his seclusis, non haberent alias decentem victum, licet ex agello aliquo, vel bono simili habeant aliquem proventum modicum; quia licet particula *tantum* sit exclusiva omnium, quæ in dispositione inclusa non sunt, loquendo de rigore juris; in hoc tamen casu potius id, quod naturalis æquitas, quam juris apex suadet, dicendum videtur. Ratio est ex dictis; nam finis hujus clausulæ (*ne officiales Curie fraudentur suis emolumentis*), ut loquitur Corradus relatus supra non videtur cum eo rigore exigere, ut propter modicum pecuniæ, quod fortassis obveniret ex illo oratorum agello, particula *tantum* tam rigorosè accipiatur, ut negetur oratoribus dicto modo pauperibus dispensatio *in forma pauperum*, licet habeant justasomnino causas; & alias, ob eandem, oblatâ pecuniâ, certò dispensationem reciperent in forma ordinaria. Hoc enim nec de mente Ecclesiæ, nec tam sancti Tribunalis, cui præsumunt tantum viri Ecclesiastici, præsumi aut debet, aut potest.

2294. Et ideo, etsi Corradus *cit. l. 8. c. 5. n. 21.* censet in hoc casu *non relinqui arbitrio prudentis judicis*, quisnam (consideratâ qualitate personarum oratorum) dicatur *pauper*, quis *miserabilis* ad effectum dispensationis in forma pauperum? eo quod particula *tantum* taxativa sit, & ad evitandas fraudes hodie addatur verbum *miserabiles*: contrarium tamen probabilius est, ut tenet Covarru. *l. 2. var. resol. c. 6. n. 8.* Menoch. *de arbitrar. casu 66.* & alij, tum ex fine, propter quem apponitur illud *tantum*, ut jam dictum est, qui revera non videtur posse exigere illum rigorem in dispositione odiosa, qualis est illa clausula; tum etiam ex mente ipsorum Curialium; præsertim, *si ipsi de suo usum addendi eam particulam induxerunt*, ut sentire videtur Corradus relatus supra n. 2292.



§. III.

Quid in dicta clausula veniat nomine laboris, ac industria?

Cum dixerimus clausulam, de qua in præfens, sufficienter verificari, si oratores sustentationem non habeant aliunde, sed ex solo suo labore, ac industria, sumendo *ly solo* juxta dicta §. priori, quæstio est, an nomine *laboris & industria* duntaxat veniat tantum corporalis labor manuum, servilis, mechanicus, agrestis? & non tantum *labor* supponat pro functione vel animi, vel corporis; sed etiam *industria* pro ingenij, sive artis exercitatione, quæ nascitur ex scientia, & providentia, ut tradit Lexicon utriusque juris apud Joannem Kahl V. *Labor & industria*, rectè dicitur *pauperes* (juxta mentem illius clausulæ) & *miserabiles*, non tantum eos, qui *solo labore corporis, sed etiam animi*, sibi querere coguntur suam sustentationem, adeò ut his seclusis & fructibus inde nascentibus victum non habent. Et ratio est, quia non tantum rusticolarum, ac opifices, sed etiam alij, statu longè superiores, justissimas causas habere possunt pro dispensatione matrimonij; a qua utique *in forma pauperum* impetranda, si & ipsi adeo tenuis fortunæ sint, ut non nisi ex industria sua vivant, excludendi non sunt.

§. IV.

De attestazione super paupertate, & miserabilitate Oratorum.

Communis doctrina habet, quod Oratores, qui petunt dispensari *in forma pauperum*, quia scilicet solvere non possunt expensas compositionis, & jurium, quæ sibi debita volunt Curiales, cum in forma ordinaria dispensatur, debeant asserere attestacionem sui Ordinarij de sua paupertate, & miserabilitate, de quibus jam actum est. Quia tamen sæpe dubitatur, quâ forma talis attestatio præstanda sit? ea subiungimus, quæ etiam ad hunc finem opportuna esse possunt. Quare

Not. 1. ipsos à suo proprio Parocho (si sub uno sint, vel si sub diversis, quemlibet à suo) debere petere attestacionem juratam, &

& authenticam, quod revera (secundum dicta superius) adeo pauperes, ac miserabiles existant, ut labore, & industria tantum vivant. Not. 2. hanc attestationem Parochi juratam, & authenticam, referendam in acta Cancellariae ipsius Ordinarii; & antequam ipse testetur, hanc Parochi attestationem esse omnino legitimam, coram se ipso, vel ejus Officiali, seu Vicario Generali (non autem coram Notario seu Cancellario tantum) debere examinari, saltem duos testes, ut ex eorum depositione concludi possit, illos esse pauperes, & miserabiles; & vivere ex propria industria & labore.

Not. 3. examen testium fieri debere juxta sequentia interrogatoria. 1. ut interrogentur testes de nomine, cognomine, patria, aetate, genitoribus, & professione sui ipsorum. 2. de nomine, aetate, patria, & genitorum ipsorum supplicantium, si sciunt. 3. a quanto tempore cognoscant ipsos supplicantes? qua occasione? & an habeant cum ipsis familiaritatem? 4. an sciunt exercitium ipsorum supplicantium, & quale, & quid lucrari possint in illo exercitio? 5. an habeant bona stabilia, vel mobilia, census, mercaturas, credita, animalia, aut alia bona, & cujus valoris fuerint, & quid ex illis percipiant in anno? 6. an sciunt certam notitiam, ipsos supplicantes nihil aliud habere, & quomodo de his notitiam habeant?

Not. 4. his adimpletis, cum ex depositione testium, de veritate constat, debere concipi attestationem sequentibus verbis: *Præfatos N. N. esse pauperes, & miserabiles, & ex proprio labore, & industria tantum vivere, prout nobis constat ex attestatione proprii Parochi ambo- rum supplicantium, & ex depositionibus duorum vel trium testium fide dignorum, coram nobis seu Vicario, vel Officiali Generali vocatorum, & examinatorum, servatâ formâ instructionis nuper ab urbe transmissæ. In quorum fidem, &c. Si verò possideant aliqua bona, tunc exprimantur in attestatione simul, & valor ipsorum, & quot fructus possint ex illis percipi in anno, &c.*

Not. 5. hanc instructionem Anno 1658. ac iterum 1671. ab urbe datam, & acceptam, super forma ab Ordinariis servanda, circa attestationes paupertatis pro illis, qui vel à Sede Apostolica, vel e-

jus Legato, *in forma pauperum*, super aliquo impedimento in matrimonij contrahendis, dispensandi sunt; ac deinde typo vulgatam, eodem anno 1671. 6. Octob. ex Cancellaria Nuntiaturæ Apostolicæ Viennæ, prodidisse. Si autem contingat, quod Oratores propter suam impotentiam ipsi urbem adire, vel alium sui loco mittere non possint, sed cogantur per alium inibi dispensationem *in forma pauperum* sollicitare, præter attestationem de sua paupertate, simul aliam habere debent, ac exhibere de dicta impotentia; quam *sufficere moralem* (quando impedimentum est relaxandum infra secundum gradum) diximus, cum de hoc superius ageremus.

Quando autem est in gradu propinquiori, etsi aliqui requirant personalem accessum Oratoris, cum is iter potest arripere, esto sit corpore vitiatum, claudus, cæcus, debilitatus, ut ex de Justis retulimus in præmissis: credo tamen *ly posse arripere iter* non debere intelligi tam simpliciter, & absolute; sed definiendum arbitrio prudentiali ejus, cui subest: quis enim credat exigi, ut homo debilitatus, fracto corpore &c. accedente tantâ pauperie, habens æquè justas causas impetrandi dispensationem, ac ille, qui, quia habet, dat pecuniam, & ob id ab accessu personali urbis liber est, propterea præcisè, quod eas expensas solvere non possit, personaliter adire urbem cogatur cum tam gravi, & moraliter non possibili corporis debilitati difficultate.

Illud etiam ad extremum nota, etsi de Justis censent in dispensationibus *in forma pauperum* principaliter attendi honorem mulieris, ut diximus supra, adeoque non recipi causas, nisi quæ sumuntur ab eo, quod mulier alias vel insanata maneret, aut gravia scandala nascerentur: receptas tamen esse alias quoque causas, ut videri potest in casu, quem refert Gobat sæpe cit. *lr. 9. n. 697.* Ex hoc colliges, paupertatem Oratorum non esse causam sufficientem ad dispensandum in impedimento, sed tantum ad dispensandum *in forma pauperum*, quin scilicet exigatur solutio compositionis, & aliorum jurium, quæ pro suis aliis emolumentis habent Curiales.

ARTICULUS ULTIMUS.

De dispensatione matrimoniali per S. Pœnitentiariam.

2303. Hactenus egimus de dispensatione matrimoniali super impedimento *publico*, pro qua recurritur ad Pontificem; nunc de illa, quæ fit super impedimento *occulto*, quam dicitur sacra Pœnitentiaria. Cùm enim frequenter occurrat, quòd contrahere volentes impediti sint (ut, si sponsus prius cognovit consanguineam sponsæ, nec facile à nuptijs desistere possit) aut certè jam contracto matrimonio cum tali impedimento, sine scandalis, separari nequeant, & sine dispensatione simul manere sine incontinentiæ periculo non valeant: & ad occurrendum ejusmodi malis, ipsi oratores in foro sacramenti pœnitentiæ se aperiant: prudens Confessarius aut ipse, aut per alios, totum casum (juxta formam supplicationis, de qua jam egimus) exponat S. Pœnitentiariæ, ut inde super tali impedimento vel dispensetur, vel jurisdictiono dispensandi committatur. Hoc, ut facile faciat, poterit requirere unum religiosum ejusdem ordinis, ex quo Romæ Pœnitentiarij Papales sunt, ut ad unum ex illis totus casus, prout se habet, tacitis oratorum nominibus, transmittatur cum debitis clausulis, per ipsum summo Pœnitentiario exhibeatur, & propter causas in supplicatione expositas, gratia petita impetretur, sunt autem Pœnitentiarij Romani ex Ordine Prædicatorum, minimorum de observantia, & Societate JESU, ut refert Gobat in *Theol. Juridico-moralis* c. 37. sect. 3. n. 91.

2304. Not. autem 1. dispensationes, & mandata dispensandi super impedimentis matrimonij, provenientia à S. Pœnitentiaria, esse de impedimentis *occultis*, circa quem terminum vide dicenda in seqq. n. 2341. Not. 2. Sacram Pœnitentiariam ex causis legitimis posse dispensare super *quocunque impedimento* (juris tantum Ecclesiastici) sed *occulto*, matrimonium dirimente, tam si matrimonium sit jam contractum, quam si sit contrahendum, *excepta consanguinitate*, ut docet Vincent. de Justis in *praxi dispens. matr.* l. 1. c. 8. n. 30. Dixi, *excepta consanguinitate*. Nam circa hoc apponit duas limitationes ex Filliucio *tom.* 1.

tr. 10. p. 2. c. 10. n. 351. Prima est, quòd Pœnitentiaria circa consanguinitatem dispensare possit solum *in remotioribus*, non autè in primo, vel secundo gradu. Secunda est, ut hoc intelligatur, si matrimonium jam contractum est, non autem si primo contrahendum. Ex hoc colliges, etiam in primo gradu affinitatis, si provenit ex copula illicita, siue licita (suppositis causis legitimis) à S. Pœnitentiaria, tam ad matrimonium contrahendum, quam ad, in jam contracto, licitè deinceps permanendum, si res occulta sit, dispensationem posse obtineri; sic de Justis *cit.* Nam sola consanguinitas excepta est.

Not. 3. Brevia, quibus olim à sacra Pœnitentiaria fiebat commissio, *in foro interno* dispensandi cum certis oratoribus super impedimento occulto, fuisse concepta cum nonnullis alijs clausulis, quæ hodie; ut facile patebit legentibus mulas antiquorum, quæ videri possunt apud Sanchez l. 8. de matr. d. 34. à n. 1. et novorum apud Gobat *cit.* c. 37. sect. 5. sub sect. 1. à n. 141. & nos insinuabimus insequentibus. Unde deducitur, quòd, cum Confessarius, cui à sacra Pœnitentiaria mittitur Breve, seu mandatum cum certis oratoribus in occulto impedimento dispensandi pro foro conscientie, ad rectam executionem in authoribus quarit, de sensu clausularum talis mandati, valde attendendum sit, quem doctorem vel scriptorem quis legat, explicantem clausulas eorum brevium, quæ dantur à sacra Pœnitentiaria. Cùm enim brevia antiqua habeant diversas clausulas à novis; & hæc alias quandoque, ac illa: facile contingere potest, quòd quis nunc accipiens mandatum dispensandi *secundum novum stylum* mandatorum S. Pœnitentiariæ, intendant in authorem, qui solum explicat requisita *secundum stylum priorem*, & antiquum, atque adeo sequendo hunc non est dubium, in multis erraturum.

Ostendo rem in exemplo. In Bullis *remotioribus* expressè præscribitur, quòd dispensatio fiat *premissa confessione sacramentali*, & *quidem in ipso actu confessionis sacramentalis*, & non aliter; ut videri potest in simili mandato apud Gobat in *Theol. jurid. moral.* c. 37. sect. 5. subsect. 1. n. 141. & Vincent. de Justis l. 1. c. 8. à n. 35. in *antiquis* autem (quorum exempla, ut dist-

intus, habet Sanchez l. 8. matr. d. 34. nihil horum expresse prescriptum est. Et ideo, licet ad ejusmodi dispensationem requiri Sacramentalem præviè confessionem rectè negarint, *juxta antiquam formam*, Sanch. cit. n. 29. & alij: *juxta formam tamen recentiorum* id non procedit, ut patebit ex seq. Et ideo ejusmodi mandatorum Executor, si errare nolit in re gravi, ac executionem mandati non exponere nullitati, omnino tenetur diligenter attendere quasvis mandati, quod accipit, clausulas; & non nisi eos sequi, qui cas exponunt secundum formam, sub qua nunc emanant à sacra Pœnitentiaria. Advertendum autem, cum sacra Pœnitentiaria annuit supplicationi Oratorum, ac litteras, quibus delegatum constituit, ut cum Oratoribus in foro interno dispenfet, mittit, in ipsdem exprimi hunc titulum: *discreto viro Confessori, Magistro in Theologia, vel decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario.* Ad horum intelligentiam, sit.

§. I.

An, ut Confessarius possit aperire litteras S. Pœnitentiariæ, debeat esse Magister in Theologia, vel decretorum Doctor?

237. Esse de necessitate (secluso privilegio) affirmat Vincentius de Justis l. 1. c. 8. n. 95. quod adeo verum esse vult, ut, si dictis qualitatibus careat, non possit cas litteras aperire, esto alias sit doctissimus, vel in publicis etiam Academijs doceat Theologiam, jus civile, aut Canonicum; nec sufficere, licet sit doctor Legum; & pro sua opinione refert Sanchez l. 8. de matr. d. 34. n. 7. Pontium l. 8. eod. c. 21. §. 1. n. 13. aliisque complures. Ex hoc infert cum cit. authoribus, eos Regulares, qui verè Doctores in publicis Academia approbati non sunt, nec hujusmodi approbationis authenticum documentum reportarunt, non posse hujusmodi litteras, seu Brevia aperire; sed intellige, quoad effectum ea exequendi, licet juxta suorum Ordinum instituta, Magistrorum privilegij fruantur, & Magistri appellentur, aut errore communi doctores reputentur. Rationem reddit n. 100. quia prædictæ qualitates requiruntur in delegato de forma.

238. Circa præsentem materiam, ut, quod in praxi tutum est, referamus. Not. 1. per illud verbum *Confessori* hoc loco venire

Tom. II.

Confessarium, etiam si nullas adhuc confessiones audiverit, modò sit ex approbatis ab Ordinario, & ab ipso dispensando ad hoc electus, ut dicemus n. 2321. & seqq. Not. 2. ut Confessor electus ad exequendum mandatum S. Pœnitentiariæ (*secluso privilegio*) validè agat, omnino requiri, quòd sit Magister, seu Doctor in Theologia, vel jure Canonico; cum hæ qualitates in delegato expresse requirantur, ut patet ex initio litterarum, de quo n. 2306. & patebit ex sequent.

Not. 3. ad eam qualitatem Doctoratus Theologici, vel in jure Canonico (prout requiritur in delegato, cui committitur dispensatio) non sufficere, quòd quis sit earum facultatum Professor in Academia approbata, etiam idoneus; vel, quòd sit Magister in Theologia ex instituto aliquarum Religionum; vel communi errore reputetur habere talem gradum; sed requiri necessariò, quòd gradu doctoratus in Theologia, vel jure Canonico, sit insignitus in aliqua Universitate; ita communis cum Sanchez cit. l. 8. d. 34. Pontio cit. l. 8. eod. c. 21. §. 1. n. 13. Castropalao p. 1. r. 3. d. 6. p. 15. §. 1. n. 1. & alijs. Quamvis enim multi doceant, tamen ut quis sit Doctor, oportet, in Academia approbata, Doctoratus insignia legitime accipere L. Medicos. C. de Profess. & quis medic. ut rectè notat Pereyra in Elucidar. n. 305. & 343.

Ratio ulterior sumitur ex c. Statutum. 2310. 11. de Rescript. in 6. ubi Bonifacius VIII. sic loquitur: *Sancimus, ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis causa, auctoritate litterarum sedis Apostolicæ, vel delegatorum ejusdem, de cetero committantur.* Ex hoc enim sequitur, eos tantum de jure posse esse delegatos Papæ quoad executionem litterarum ejus, aut ab ipso delegatorum, qui habent dignitatem Ecclesiasticam, vel personatum, aut Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, ut colligitur ex Gloss. ad cit. c. Statutum. V. Dignitate, &c. de quo aliàs agitur l. 3. tit. 29. de offic. & potest. Jud. deleg.

Doctoratum autem esse dignitatem docet Sylvester V. Doctor n. 1. qui n. 2. ait: *Doctorem in continenti, cum incipit legere, habere dignitatem;* quia habet à lege jurisdictionem Ordinariam super suos juxta authent. C. Ne filij pro Patre. Cùm ergo

Bbbb

ergo

ergo hanc qualitatem in suis delegatis ad dispensationes matrimoniales exigat S. Penitentiaria, hanc qualitate carens omnino caret requisito ad validè exequendam e-
jusmodi commissionem; quidquid in contrarium dicat Fragotus tom. 1. de Regim. l. 5. d. 12. §. 14. à n. 88. apud Pereyram cit. n. 344. quia verba commissionis clara sunt.

Et ideo ejusmodi litteras exequi non potest confessarius, qui solum est *Licentiatus* pro Doctoratu Theologiæ, vel Juris Canonici. Nam etsi talis Doctoratui sit proximus, & facultatem habeat eum obtinendi, solum sequitur, quod in favorabilibus sub nomine *Doctōris* comprehendatur quoad privilegia *ratione exercitiij* concessa; non autem, *ratione dignitatis*, ut rectè notat Sanchez cit. n. 8. cum Ripa in *L. Centurio*. ff. de *Vulgar. n. 18.*

2312. Nec obstat, quod, ut Parochus putativus validè præstet actus, qui pendunt à *jurisdictione*, sufficiat error communis cum titulo existimato; quia licet error communis det vel potius indicet, tunc à *Republ. vel Principe* concedi *jurisdictionem*; juxta *L. Barbarius* ff. de *offic. Prætor.* ut cum factis communi docet Castropalaus cit. n. 1. non tamen dat qualitatem; cum ergo in nostro casu qualitas *Doctōris* in Confessore eligendo, vi commissionis requiratur; eo ipso deficit conditio, ut quis validè ad hunc commissionis actum exequendam eligatur. sic Pontius cit. n. 13.

2313. Dixi n. 2307. *secluso privilegio*; quia, ut rectè notat de Justis cit. n. 103. quidam Generales certarum Religionum, ex speciali Sedis Apostolicæ privilegio, possunt ejusmodi commissiones exequi vel per se, vel per alios ab ipsis deputatos, licet careant, requisitâ in alijs, qualitate *Doctoratus*, de quo hæctenus; ubi etiam refert hanc facultatem habere Patres nostræ Societatis ex privilegio *Greg. 13. die. 3. Apr. 1582.*

Et quamvis Lezana tom. 3. *summæ. qq. regular. V. Litteræ Apostolicæ, n. 16.* dicat: hoc privilegium soli *Generali Claudio Aquavivæ*, non autem alijs ejus successoribus concessum, consequenter, ut ait, se non videre qualiter alij *Generales Societatis* eo uti possint; cum privilegium alicui *Generali personaliter* concessum, non transeat ad successores: fallitur tamen in eo, quod sibi persuadear esse privilegium per-

sonale, seu concessum soli personæ *P. N. Claudij.*

Nam si Lezana considerasset verba constitutionis Gregorianæ, reperisset statim in principio, eam gratiam factam *Præposito Generali Soc. JESU, ratione officij* ut patet. 1. ex inscriptione. 2. ex verbis statim ad initium, ibi: *delectis filijs Presbyteri Soc. JESU, cui præesse dignoscis*, ubi aperte explicatur *ratio officij*, nimirum quod præsit universæ Societati; consequenter ad illum non ratione personæ *Patris Claudij*, sed ratione *Generalis* concessio fiat.

Deinde prudenter præsumi nequit, Pontificem hanc gratiam alligasse *Patri Claudio*, quâ tali potius, quàm quâ *Generali*; cum manifestum sit, toti corpori vivere voluisse, non ad vitam personæ, quæ tunc Societati præerat; sed in quantum caput ejus corporis erat, ut liquet expressis in iisdem litteris Apostolicis expressis. Cum enim hæc perpetua sint, utpote procedentes ex functionibus hujus *Institutionis*, & ob id privilegium *idem omnino* (quod jam olim universæ Societati verbe & vivâ voce, concessum erat ab *Alexandro Frumento* officij *S. Penit. Regentis* etiam constitutione suâ firmate gratiæ voluerit, profus immeritò concluditur, in hoc indulto Pontificem habuisse in *P. N. Claudio* potius *rationem personæ quam officij*; cum idem Societati indulgere liceret suis voluerit per *P. Claudium*, tunc *Generalem*, quod vivâ voce quondam *Frumentus*: hoc autem indultum *Frumentus* fuisse personale tantum, vix præcedit *Lezana*,

Nec obstat, quod præter *nomen officij* in dicto privilegio etiam exprimitur *nomen personæ* ipsius *Generalis*. Nam, cum ratio concedendi, quæ ibidem apponitur, manifestè talis sit, quæ non tam in ipsa *persona P. N. Generalis*, quàm in *Religionis* ipsi subditis, exigat usum ejus privilegij per frequentem, valde fructuosam & perquam necessarium ad animarum salutem, cujus cura nostræ Societati ex *Instituto suo propria est*, ipsa sufficienter, & aperte demonstrat, eam expressionem ex mente concedentis dirigi ad *P. N. Generalem ratione muneris*, non personæ.

Nec obstat, 2. quod ibid. dicatur: *Per te vel tibi subordinatos superiores designatos*

di. Nam, cum in hac Religione speciale sit, quod privilegia Societati univ[er]se concessa, non descendant in subditos, seu membra hujus corporis, nisi mediante communicatione, quæ fit per ipsum caput totius Religionis, vel immediate, vel mediantibus Superioribus ipsi subordinatis, merito exprimitur hæc ratio utendi concessio favore non competere ulli, nisi per P. N. Generalem designato, aut subordinatos illi superiores; quibus ille hanc designandi facultatem tribuit; ne scilicet quis existimet, sibi eo ipso, quod de Societatis corpore sit membrum, licere illius usum, quod fortasse multi, qui Societatis institutum non norunt, non considerant. Plura de hoc V. apud Gobat in *Theol. Juridico moralis c. 37. sect. 1. subsect. 2. n. 158. qui. n. 160.* satis exponit sensum suum super ea doctrina Lezana, de qua n. 2313.

2317. Not. 4. dictam *Doctorem* qualitatem non desiderari in *aperiente* literas Pœnitentiariæ, ut vult de Justis in n. 2307. sed solum in *exequente* dispensationem in ijs commissam, ut monuimus *num. cit.* nec aliud velle P. Sanchez relatum à de Justis, ut aperte constat ex ipso Sanchez l. 8. d. 34. n. 12. ita etiam Bonacina de *Legib. d. 1. q. 2. p. 2. n. 3.* & Lezana *cit. qui. n. 19.* rectè docet ex Sanchez *cit. num. 12.* veriore esse sententiam, quæ negat, prædictas literas suo effectu frustrari, aut privari, si aperiantur à non habente prædictam qualitatem. Cum ex ipso sine commissionis constet, eam exigere pro executuro dispensationem, non aperturo literas.

2318. Quæres tamen. 1. an carens requisita qualitate *Doctorem*, vel privilegio, peccet, si eas literas aperiat? 2. an in casu, quo unus Confessarius eas aperuit, sed exequi recusat, dispensandus possit alium adire, & ab ipso dispensationem obtinere? 3. an si, qui prius noluit exequi, mutato consilio jam velit? Ad. 1. affirmative respondet Lezana *cit. ex Naldo in Summa. V. Litera, n. 8.* Nam ex se patet, alienas literas aperire cum scientia, *sibi non inscriptas, sed alteri*, illicitum esse, ac contra mentem, ac intentionem scribentis, qui jus habet prohibendi invadentes arcani sui, præsertim spectantis ad forum animæ, fractione literarum. Ad. 2. respondeo affirmative, id, quod etiam tenet Lezana

Tom. IV.

cit. n. 19. Nam privilegium, pro foro solum interno alicui concessum, ad effectum aliquem gratiosum alterius ministerio præstandum, probabilitus imitatur forum pœnitentiale, in quo, si Pœnitenti servire non vult unus Confessor, qui ceteroquin posset, licet adire alium, pariter potentem, ac volentem, ad eundem ab illo accipiendum. Ad. 3. respondeo pariter affirmative. Nam prior recusatatio nihil mutat in qualitate personæ ad executionem commissæ gratiæ illum eligentis, aut electæ.

§. II.

An, & qualiter in Confessario, delegato à S. Pœnitentiaria, requiratur quod sit ex approbato ab Ordinario?

Non est dubium, requiri hanc qualitatem in tali confessore delegato, qui dispensationem non aliter exequi potest, nisi vel auditâ prius confessione Sacramentali Oratoris, vel Oratricis, vel etiam in ipso actu Sacramentalis confessionis; præterquam, quod in ipsa etiam commissione claris verbis exprimat, ibi: *ex approbato ab Ordinario*: complura tamen dubia in præsentia materia esse possunt. Igitur Quæstio est. 1. an Confessarius delegatus possit literas, seu commissionem exequi, si verè sit approbatus ab Ordinario, licet sit valde rudis? R. affirmative, quantum est, *vi hujus qualitatis* requisitæ. Nam sic omnino habet id, quod requiritur in ea clausula: *ex approbato ab Ordinario*; ita Sanchez l. 8. de *matr. d. 34.* Trullenck *oper. moral. tom. 3. l. 7. c. 10.* & alij.

Quæstio est. 2. an idem procedat, si fuisset quidem semel approbatus, sed licentia postmodum occultè revocata, vel in principio nulliter data propter occultum aliquem defectum communiter ignoratum? R. affirmative; Nam in tali casu adest titulus coloratus, ac error communis; cum supponamus revocationem, vel nullitatem esse occultam. In concurrentia autem harum duarum circumstantiarum (ne gravissimo salutis periculo exponatur tot animæ) jurisdictionem supplet Ecclesia; ita Sanchez *cit. n. 14.* Trullenck *cit. n. 3.* Filliac. *qq. moral. tom. 1. tr. 10. p. 2. c. 10. n. 352.*

Quæstio est. 3. an idem procedat, si fuisset quidem approbatus ad audiendas confessiones,

Bbbb 2

ffessiones,

fessiones, sed cum limitatione personarum v. g. *tantum virorum*? Unde si casus esset quod *Oratrix* esset dispensanda ex commissione sacrae Pœnitentiariae, quaritur, an possit ejusmodi Confessarius pro solis viris approbatus exequi dictam commissionem? Negativam sequitur de Justis *cit. n. 117*. Gobat *cit. n. 166*. & plures alij apud ipsos relati. Affirmativam autem P. Sanchez *cit. l. 8. d. 34*. Lezana *tom. 3. V. Clausula n. 23*. Perez de matr. *d. 48. s. 5. n. 5*. & alij.

Ratio negantium est. 1. ex Gobat *cit.* quia literæ, quibus conceditur jubilæum, vel commissio dispensationis matrimonialis, non ampliunt approbationem, sed tantum jurisdictionem. 2. ex de Justis, quia illa verba: *ex approbatis ab Ordinario*, intelligi debent, quod sit simpliciter, & absolute *approbatum*, alioquin frustratur S. Pœnitentiaria sine suo, qui est committere viris doctis & absolutè, non autem cum limitatione approbatis. 3. ex P. Cardenas *in Crisi Theol. in propos. prohib. ab Inoc. XI. dissert. 2. c. 6. a. 7. q. 2. §. 2. n. 239*. opinionem contrariam vocante dubia, seu tenuis probabilitatis. &c.

Ratio affirmantiũ in eo potissimum stat, quod in delegato ad dispensationes matrimoniales plus non requiratur, quam in commissione exprimitur; at in commissione quoad hoc punctum nihil aliud exprimitur, quam quod sit *ex approbatis ab Ordinario*; & hoc verificatur etiam in approbato ab Ordinario ad confessiones solum virorum; ergo.

2322 Nec rationes in contrarium multum urgere videntur. Nam, primã etiam transmissã, nihil contra horum opinionem sequitur; cum hi non dicant, requiri, ut in dato casu ampliatur *approbatio*; sed tantum sufficienter verificari requisitam in literis commissionis qualitatem, quod sit *ex approbatis ab Ordinario*; id quod etiam sufficit in jubilæo, ut dicemus suo loco; & constabit ex dicendis.

Nec urget ratio secunda ex de Justis. Nam licet dicat, ea verba debere intelligi *de approbato simpliciter*, & absolute; id tamen nec ullo jure, nec ratione probat. Ad 3. ex P. de Cardenas facile negatur, quod assumit de contraria opinionis probabilitate tenui, si velit titulo dictæ commissionis præcisè, requiri eam approbationem *sine limitatione*, cum, ut diximus *num. 2321*. in oppositum stent viri doctrinã &

pietate illo non inferiores, & nitantur fundamentis dignis assensu prudentum.

Dixi. *titulo commissionis præcisè*. Nam quando in literis non præscribitur, ut executio dispensationis fiat *in ipso actu sacramentalis confessionis*, licet in executione petatur approbatio Ordinarij una cum gradu Doctoratũ, vel Magisterij, executio commissionis licitè, ac validè fit extra Sacramentum ab habente utramque qualitatem, maximè si de utraque Testimonium habeat; ergo si Doctor, vel Magister in Theol. aut jure Canonico, etiam sit approbatus ab Ordinario pro confessionibus, tanquam sufficientem ad hoc scientiam habens, licet ob juvenilem ætatem limitetur ad confessiones virorum tantum, nihilominus ab Oratoribus, per sacram Pœnitentiariam privilegiatis, validè eligitur ad exequendam dispensationem; cum habeat utramque qualitatem, vi literarum in eligendo delegato requisitam; ita Sanchez *cit. n. 16*.

Deinde Confessarius, ob sufficientem doctrinam in moralibus, approbatus ad confessiones audiendas, licet ob ætatem limitatus ad Confessiones virorum, validè eligitur etiam à feminis *tempore jubilei*, concedentis omnibus Christi fidelibus facultatem, ut eligere sibi possint aliquem Confessarium *ex approbatis ab Ordinario*; ergo idem dicendum in casu nostro; nec enim ulla ratio suadet in literis Pœnitentiariæ ly *approbatus ab Ordinario* strictius accipi, quam in jubilæo aut alijs facultatibus, aut privilegijs contenti cuilibet Sacerdoti approbato ab Ordinario. Ant. autem patet ex usu, & præxi, de qua testatur Gobat *cit. c. 37. sect. 1. subsect. 2. n. 165*. dicens, in habentibus privilegium, aut licentiam consentendi cuilibet Sacerdoti *ex approbatis ab Ordinario*, sufficere, quod talis Sacerdos in aliqua diocesi sit approbatus, esto non in eadem qua pœnitens est; & addit: *contrariam interpretationem non esse in usu receptam in Germania superiore respectu Regularium*. Et ita reverã ostendit praxis in talibus. In jubilæis enim ex diversis planè diocesis concurrunt Pœnitentes, & confessiones suas peragunt apud Regulares, vel etiam Parochos, qui tamen frequenter approbati non sunt ab Ordinarijs eorum, sed ab eo tantum, in cujus diocesi degunt, quam

penitentes examinent, ex qua dicecesi sint, ut de sua pro illis approbatione ab eorum Ordinarijs agnoscant.

Et ratio ulterior est pro sententia Patris Sanchez, quam omnino verè probabilem iudico; quia tota ratio in contrarium est, quòd talis Confessor ab Ordinario approbatus solum limitatè; pro Confessionibus virorum, aut certi pagi, vel Parochie non esset approbatus ab eodem pro tali penitente v. g. oratrice; sed hoc per istam qualitatem (ex approbatis ab Ordinario) in litteris commissionis contentam, non exigitur, quia talis qualitas verificatur in eo verè approbato, licet non pro omnibus, ut constat ex num. priori. Nam homo dicecesis Passaviensis v. g. tempore jubilæi validè eligit Regularem, vel Parochum approbatum à solo Dicecesano Viennensi, ut certum videtur ex communi praxi, & usu jam recepto; ergo.

Nec obstat, quod opponit de Justis cit. n. 117. quòd talis confessor approbatus tantum pro viris, ab Ordinario sit exclusus pro Feminis, consequenter etiam Penitentiarie sit eadem intentio. Nam ea exclusio pro feminis, non est pro tempore jubilæi, vel habentibus licentiam confitendi cuilibet ex approbatis ab Ordinario: sed solum pro carentibus eà gratià, & pro quovis occurrenti, seu casu ordinario.

Præterea not. 1. juxta de Justis cit. num. 111. dispensationem probabilius valituram, etiamsi necessaria sit Sacramentalis confessio, esto ex aliquo defectu v. g. integritatis, seu attritionis, aut alia de causa, nulla, & invalida fuisset. Nam ex parte Confessoris nihil deficit, ut supponimus, ad valorem actus; & confessio licet illega non reddit penitentem inhabilem ad recipiendum beneficium dispensationis; cum hoc naturà suà esse possit, sine confessione Sacramentali; ita ille, citans pro eod. complures alios.

Not. 2. si Confessor electus munus suum minùs bene peregit; v. g. dispensavit quidem in impedimento, sed prolem susceptam non legitimavit, quando & hoc in commissione habuit, posse adiri alium Confessarium, similiter qualificatum, ac ab eodem obtineri alterius partis, omiſſa à priori, executionem. Ratio hujus est ex n. 2318. quòd commissio pro foro interno imitetur forum Sacramenti Penitentiarie, in quo penitens non satis-

factus ab uno, licet, ac validè adit alterum, & gratiam obtinet.

Dices: quando jurisdictio est delegata, 2327. ea etiam de consensu partium non potest prorogari de persona in personam, juxta cap. 1. de offic. delegat. ergo non valet hæc mutatio Confessarij semel electi: ut notat Navarr. consil. 8. de offic. Jud. deleg. & sequitur Zerola in praxi Episcoporum. V. Penitentiaris; quia per primam litterarum præsentationem uterque functus est suo officio; alter scilicet, presentando; alter verò, eas aperiendo; præsertim cum ex stylo Penitentiarie, datà absolutione, litteræ lacerandæ sint. Et id procedere in delegato pro foro externo, ut notat Sanchez l. 8. d. 27. n. 40. & alij: secus est in delegato solum pro foro interno. Nam, ut diximus, hujus commissio imitatur forum penitentiarie, ut liquet in delegatis pro jubileo, ubi ab eodem eligi potest Confessor, qui vota commutet; & alius, qui à reservatis absolvat, quando is à committente non est determinatus, sed eligibilis arbitrio penitentis. Et hanc responsionem esse conformem menti S. Penitentiarie, ac in praxi per totum orbem servari, tenet Pyrrhus Corradus in prax. dispens. Apost. l. 7. c. 4. num. 72. asserens, se idem didicisse in ipso S. Penitent. officio, cujus mens, & stylus semper fuit, ut hujusmodi litteræ, quomodocunque fuerit, suum sortiantur effectum.

Unde negatur, quòd dato casu prorogetur jurisdictio de persona in personam ex sola partis, aut Confessarij voluntate. Hoc enim fit ex mente ipsius majoris Penitentiaris, ut liceat diversos Confessarios adire, qui omnes consententur electi ab eodem penitente, ut litteras expediant. Potestas autem semel eligendi, & non sæpius, ex mente S. Officij, intelligitur de actu consummato per electum; & S. Penitentiarie sapius consultam sic sine hesitatione respondisse refert cit. Corradus n. 73. Quod additur de litterarum laceratione, pariter intelligendum est, post actum consummatum, nimirum post plenè datam executioni factam commissionem. Quare, Confessori secundo pariter presentandæ forent litteræ, ut dictum est supra. Nam alias nec de jurisdictione sibi competente certus esset, nec eam reciperet in actu, ut etiam observat de Justis cit. l. 1. c. 8. n. 124.

Bbbb 3

Dices:

2328. Dices. 2. ea sententia, quam cum P. Sanchez verè probabilem diximus *num.* 2324. incidit in propositionem ab Alexand. VII. 30. Jan. 1659. damnatam, quæ sic habet: *Regulares ordinum mendicantium, semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua diœcesi, habentur approbati in alijs, nec novâ Episcoporum approbatione indigent; & refertur in libello;* cui titulus Theol. Erronea, id est, Propositiones sub diversis summis Pontificibus damnatæ, *Tract. 5. de Pœnit. R.* negando assumptum. Nam propositio, quam cum P. Sanchez, tanquam verè probabilem diximus, est hæc: *qui vigore commissionis, à S. Pœnitentiaria factæ alicui, dispensari potest ab aliquo Confessore ex approbatis ab Ordinario, si habeat qualitatem doctoratus, de quo habetenus, vel privilegij (etiam sine illo, ejusmodi commissiones exequendi) valide eligit Confessarium, his qualitatibus præditum, modo sit verè approbatus ad audiendas confessiones, licet non indefinîtè, sed solum virorum v. g. vel in tali pago; at hæc non est æquipollens illi: ergo.*

2329. Dices. 3. cum Castropalao *tr. 3. de dispens. leg. d. 6. p. 15. §. 1. n. 1.* probabilius est, delegatum non posse tales literas expedire, nisi præmissâ sacramentali Oratoris confessione; ergo qui illam efficere non est capax, non erit capax hujus delegationis. Adde, approbationem debere esse comparatione alicujus; ergo comparatione illius, qui illum ad dispensandum eligit; sic ille, citans Basil. Pontium *l. 8. c. 1. §. 1. n. 13.* ubi tamen excipit, nisi ex errore communi approbatus existimetur. Nam in tali casu ab Ordinario approbatur, & jurisdictio ei conceditur. *R.* antecedens verum esse, quando clausula commissionis exigit, ut dispensatio fiat *in actu confessionis sacramentalis, & non aliter*, ut dicemus in seq. sed, N. suppositum consequ. quòd approbatus ab Ordinario cum Testimonio sufficientis doctrinæ moralis, & solum ex alio accidente (v. g. ob aetatem) restrictus ad certum locum, vel virorum confessiones tantùm, non possit perficere Sacramentum pœnitentiæ cum eo, qui habet licentiam eligendi sibi *Confessorem quemlibet ex approbatis ab Ordinario*, ut constat ex dictis.

Ad id, quod additur, concedo Confes-

forem eligibilem debere esse approbatum ab Ordinario *comparatione alicujus*; sed nego requiri, quòd sit approbatus ab Ordinario *comparatione illius, qui ipsam eligit ad dispensandum.* Ratio est ex *num.* 2324. Et non requiri ad confessionem validam, quòd Confessarius sit approbatus ab Ordinario Pœnitentis, sed sufficere, quòd sit approbatus ab Ordinario *laici, ubi sit confessio*, aperte docet Layman *l. 5. tr. 6. c. 11. n. 9.* cum alijs, quos citat, & sequitur P. Illung. *Theol. pract. tr. 6. d. 1. n. 176.* de quo alibi.

Si quæras, an quilibet Confessor, habens prædictas qualitates, possit esse delegatus in dato casu? *R.* non sufficere, quòd habeat prædictas qualitates (nimirum quòd sit Magister, vel Doctor in Theologia, vel jure Canonico, & sit ex approbatis ab Ordinario) sed requiri simul quòd sit *ad hoc electus ab ipso Oratore dispensandis*, ut patet ex illis verbis: *pro Latorem presentium, ad infra scripta specialiter eligendo;* quomodo autem, quando, Confessario semel electo, post Orator, vel Oratrix adire alium, & illum priori relicto, eligere, jam præcedenti dictum est. Et hæc de prima clausula, quæ continet *qualitates in delegato requisitas*, nimirum esse Magistrum in Theol. vel Doctorem juris Canonici, & ab Ordinario approbatum. Circa quod bene not. esto quidam Religiosi, ex Privilegio Pontificio, habeant, quòd suos creare possint *Magistros*, nimirum *sui Ordinis*, cum omnibus privilegijs aliorum etiam Doctorum, intelligi tamen solum *quoad exercitium*, non *quoad dignitatem*, ut notavimus *n. 2309.* si non sint Doctores Academici, juxta *n. jam cit. & seqq.*

§. III.

De clausula, continente conditiones observandas ante dispensationis executionem.

Inter eas prima est, quòd Confessor electus, antequam commissionem dispensando exequatur, indaget *verificationem causarum*, quæ allegatæ sunt pro impetranda dispensatione. Ex quo sequitur præmittendum esse examen, & cognitionem causæ, ut patet ex verbis factæ commissionis: *se ita esse per diligentem Latoris examinationem, ac post monita, &*

consilia opportuna illi praesita, inveneris. De modo autem verificationem exigendi, & tum examen, tum causae cognitionem instituendi, jam egimus à n. 2233. peculiare tamen est in hac commissione S. Penitentiariae, ubi cuncta fiunt *pro foro interno, & salvo arcano*, in examine super veritate causarum, non debere *Testes* accipi; sed tantum interrogari Latorem, cui in foro interno credendum est; id, quod ejus fori ratio ex se suadet; sic Castropalaus *cit. n. 4.*

2332. Quaesitum tamen. 1. an Confessarius debeat a Latore (nimirum dispensando) juramentum expostulare, videlicet de sincerè respondendo ad quaesita? R. id in commissione non praescribi, sed tantum diligens examen; ut patet ex verbis in n. praeced. relatis; hoc autem fieri potest (ut patet in Confessione Sacramentali) citra juramentum examinandi: ergo; ita Sanchez l. 8. d. 34. n. 21. & constat ex dictis à n. 2236. excipere, nisi Confessarius, ut sibi plenius satisfaciatur, ex justis causis in talibus circumstantiis judicet, esse necessarium, illud ab Oratoribus expostulandum; sic Castropalaus *cit. n. 4.*

2333. Quaesitum. 2. an hoc examen necessarium sit, quando constat, causam esse notoriam, & manifestam, vel ipsi delegato aliunde satis nota est? Respondet Castropalaus *cit. n. 4.* probabilius esse, *tunc non requiri*; sicut enim, ubi jam habetur cognitio veritatis, cessat causa, propter quam mandatur tale examen. Sic ille; ceterum nisi ea notoreitas, vel notitia, quam delegatus habet, aliunde tam firma sit de veritate precum, ac ea, quam haberet per diligentem informationem, procedendum ei foret juxta dicta n. 2230. quid autem agendum, si delegatus aliunde cognosceret *causam esse falsam*, esto eam Lator afferret, diximus à n. 2237.

2334. Alterum inter conditiones dispensationis praevias locum obtinent *monita, & consilia opportuna* Latore a delegato praestanda prius, quam commissionem exequatur, ut constat ex verbis mandati relatis *num. 2331.* Haec monita, & consilia, solum ordinari ad veritatis cognitionem, censet Castropalaus *cit. n. 4.* probabilius tamen dicitur, etiam ordinari ad hoc, ut, si ex parte Oratorum impedimentum, quod dispensandum est, natum est ex illorum,

vel unius delicto, deinceps caveant, & quae in poenitentiam imponuntur, fideliter adimpleant.

Quaestio tamen est, an haec monitio, & consilia, sint *de necessitate* dispensationis? cum potissima eorum causa sit veritatis cognitio, haec autem haberi possit, examinatione delegati, & responsione Latoris (cum id sufficiat in ipso Sacramento) probabilius est requiri solum ex convenientia, & aequitate; non necessitate; ita Sanchez *cit. d. 34. n. 27.* Et ideo dicendum, cognitioni causae adjunctam, solum ad facilius cognoscendum esse veritatem.

§. IV.

An commissionis executionem precedere debeat Confessio Sacramentalis ejus, qui dispensandus est?

Resolutio pendet à verbis, sub quibus fit commissio. Nam si commissio fiat, ut olim, quando in litteris non ponebatur clausula *audità confessione*, sed delegato, ad quem dirigitur Breve S. Penitentiariae, tantum dicebatur, ut *imposità salutari poenitentia*, cum illis *dispenset in foro conscientiae*, opus non est, ut ante dispensationem excipiat ejus confessionem, cum quo dispensandum est; ita Sanchez *cit. d. 34. n. 29.* Salas *de Legib. d. 20. sect. 10. n. 98.* quos citat, & sequitur Castropalaus *cit. n. 6.* Ratio est, quia, supposità *veteri litterarum formà*, nullibi dicitur, dispensationem expediendam esse *in*, vel *pro foro poenitentiae*, sed solum *pro foro conscientiae*; at *forum conscientiae*, etsi etiam sit *forum arcanum, & secretum*, non est tamen simpliciter, & unice *Sacramentale*, sed extra *judiciale*; forum autem poenitentiae, est *Sacramentale, & judiciale*, ut diximus in praemissis: & tradunt complures cum Sanchez *cit. n. 29.* Navar. *in summa. c. 27. n. 41.* Sà V. *Excommunicatio n. 1. & c.*

Nec obstat, quod *in forma veteri* diceretur: *ut eundem absolvas hac vice, in forma Ecclesiae consueta, injunctà poenitentia salutari.* Nam haec clausula solum addebatur, si quis dispensandus erat in voto, contra cujus prohibitionem egit; vel postquam cum ejus, quam duxit, consanguinea peccavit: igitur non additur, tanquam aliquid necessarium dispensationi.

dispensationi, sed solum, si Lator nondum confessus esset delictum, quod contraxerit nuptias contra votum, vel incestas, ut notat Gobat *cit. c. 37. sect. 1. subs. 3. n. 176. V. quæ diximus à n. 1464.*

2338. Dixi, non prærequiri confessionem Sacramentalem, ad dispensationis valorem, si rescriptum sit in stylo veteri juxta *num. 2306. & seqq.* si autem fiat juxta styllum modernum, de quo *n. eod.* ubi clarè apponitur clausula: *auditâ prius ejus Sacramentali confessione; & misericorditer dispenses in ipso actu Sacramentalis confessionis tantum, & non aliter, neque alio modo:* non est dubium requiri confessionem; cum extra illam à delegato aliter, aut alio modo fieri dispensationem non posse, apertè dicatur.

Censet tamen Gobat *cit. n. 183.* non esse omnino improbabile, illi, qui est jam antè legitime absolutus à peccatis, pro quibus præscribitur, ut à delegato, illi imposita salutari penitentiâ, detur absolutio, non amplius teneri ad confitenda delegato ea peccata, à quo dispensationem est impetraturus; consequenter nec ad confessionem; rationem dat, quod *conditio de confitendo* appositæ sit in eo Rescripto styli recentis ideo solum, quia Orator pro impetranda absolute supplicavit, id colligens ex illis rescripti verbis: *cupit à præmissis* (quod matrimonium cum muliere, cujus sororem antea carnaliter cognoverat, contraxerit, ac consummarit) *quæ sunt occulta, de quibus plurimum dolet, absolvi;* ergo ubi jam rite, ac legitime ab illis liberatus est, non erit amplius necessaria confessio; præsertim, si tunc, cum dispensandus est, non sit sibi confessus peccati gravis. Nam solum gravium confessio, quæ nunquam clavibus subiecta fuerunt, est sub præcepto; nec aliter censenda est S. Penitentiaria confessionem à dispensandis exigere, quam eam præcipiat Ecclesia.

2339. In hac re judico distinguendum inter confessionem, in qua Orator absolvendus est à peccatis occultis, pro quibus præscribitur illi injungenda penitentiâ salutari, eò, quod tangant causam impedimenti relaxandi; & inter confessionem, in qua dispensandus est Orator juxta verba *cit. ibi: misericorditer dispenses in foro conscientie, & in ipso actu Sacramentalis*

confessionis tantum, &c. Nam de primo actu confessionis agitur statim in principio, de altero autem sub finem rescripti, ut patet illud legenti apud Gobat *cit. n. 141. & alios, ut diximus n. 2306.*

Quoad primam confessionem assensum Patri Gobat *in casu, quo jam prius Orator legitime absolutus est ab illis peccatis, nec alijs tunc gravibus impeditus.* Nam illa conditio de confitendo, ut satis clarè colligitur ex allatis antè, est ex suppositione, quòd in supplicatione Orator, vel Oratorum pro eorum absolute sibi per delegatum impetrandi rogaverint, tanquam nondum Sacramentaliter absoluti.

An autem in casu, quo illis absolutio illa non amplius necessaria est, titulum illorum delictorum, quæ jam sublata legitime ponuntur; nihilominus confessionem requiratur, ut intra eam dispensentur, dubitatur. Sed non est dubium rectius fieri, si præstetur; ambigi tamen potest, an necessaria sit nihilominus ad valorem dispensationis, etiam in casu, quo Lator sibi confessus non est ullius peccati gravis. Nam etsi dicatur, *debere dispensationem fieri in ipso actu Sacramentalis confessionis tantum, & non aliter, nec alio modo,* non improbabiler dicitur, hanc clausulam apponi solum ex suppositione, quòd confessio de prædictis occultis, ubi pro absolute ab illis supplicatum est juxta dicta, facienda est delegato, cui per rescriptum Penitentiariæ, absolvi potestas, ac deinde dispensandi (ad preces unius, qui dispensandus est) committitur; ergo ubi hoc non est, non erit necessarium, dispensationem fieri in ipso actu Sacramentali. Hanc cogitationem judico non improbabilem cum Gobat *cit. nihil tamen de his, sed judicium meum Doctores submittito.*

§. V.

Qualiter requiratur, quòd impedimentum sit occultum;

Cum commissio S. Penitentiariæ ad dispensandum in matrimonijs, facta delegato eligendo, expressè addat clausulam: *admodum impedimentum præstatum sit occultum;* & hoc ipsum, ante rescripti executionem, coram Commissario verificandum sit: quæstio est, quo sensu hic *occultum;* ad mentem S. Penitentiariæ accipitur.

accipiendum sit? ut Executor tutò procedat; *occultum* (sicut & *publicum*) multis modis accipitur, tum à Juristis, tum à Theologis, ut videre est apud Menoch. *de arbitr. cas. 166.* Mascard. *de probat. conclus. 1107. à n. 13.* & Farinac. *in praxi crimin. q. 21. n. 1.* *occultum* est idem quod latens, ab *occulere*, quod est celare, tegere. Triplex est, primum est *occultum per se*, hoc est, simpliciter, & absolute, quod nihil habet, unde ab hominibus cognosci possit; quale est secretum cordis, quamdiu nullo signo externo foras prodit; de quo Aragon. *ad 2. 2. q. 11. n. 3. & 4.* secundum dicitur *occultum per accidens*; cum foras procedat, & cognitum ab hominibus fieri possit: sed quia desunt, qui percipiant, & evulgent, secretum remanet; unde restet Simanchà *de Cathol. Instit. tit. 42.* & Alphon. de Castro, *de justa heret. punit. l. 2. c. 18.* si quis in solitudine, ubi nemo adsit, proferat heresim, hæc occulta per accidens dicitur. Tertium est, *quod planè probari non potest*, vel quia scitur ab uno tantum, vel ab aliquibus, qui singulares testes sunt. Hoc opponitur manifesto *c. vestra de cohab. cler.* ubi D. D. communiter, quibus accedit Turrecrem. *in c. si peccaverit 2. q. 1.* sic Pereyra *in Elucidar. à n. 923.* his præmissis.

Gobat *cit. n. 173.* docet, quod *occultum* hic idem significet, quod *non notorium, non publicum, non famosum*. Et quamvis hæc tria pro eodè saepe usurpentur, teste Pereyra *cit. n. 919.* tamen suas habent peculiare differentias, si præse, ac propriè loquamur; *Notorium* est, quod patet omnibus; *manifestum*, quod pluribus, sed non omnibus; *famosum*, cum fama ex sufficientibus indicijs orta, ad multos pervenit, ita ut major pars civitatis, pagi, parochiæ, vel viciniæ illud nôrit. *Publicum* ferè coincidit cum notorio, de quo V. Pereyra *cit. à n. 918.* Caterum ut ly *occultum* in præsentî casu verificetur, nota sufficere, quod impedimentum in ratione impedimenti non sit *plene probabile*, juxta sensum in n. priori, & notat Pereyra *cit. n. 1672.* ex Sanchez *l. 2. D. 27. n. 11.* item, quod non sit notorium, publicum, aut famosum adesse delictum, qualiter in Trid. *sess. 24. de Reform. c. 6.* dicitur *occultum*, quod non potest probari, de Tom. IV.

quo plura Castropalaus *cit. D. 6. p. 15. §. 1. n. 9.*

Si autem delictum, ex quo natum est 2343. impedimentum, est jam deductum ad forum contentiosum, definit esse *occultum*, prout *occultum* hic accipitur, teste Sanchez & alijs apud Gobat. *n. 174.* intellige tamen si deductum sit *cum effectu*, nimirum sententiæ, vel pœnæ secutæ; si enim, accusatus de delicto, & absolutus fuit, manet *occultum* perinde, ac si nihil motum esset; consequenter dispensatio, non obstante causâ motâ litis, sed sine effectu, expediri potest, ut docet Sanchez *cit. n. 11.* & l. 8. D. 34. n. 55. Barbof. *de offic. & potest. Episc. p. 2. allegat. 39. à n. 29.* Hoc verum censeat Sanchez *l. 2. D. 37. n. 12.* licet medijs depravatis absolutio à delicto in foro fori obtenta sit; nam adhuc stat, quod deductum non sit ad forum contentiosum *cum effectu*; etiam si absolutio data sit, propter defectum probationis *plena*, ut notat Sanchez *l. 8. D. 34. n. 57.* & Barbofa *cit. n. 34.* aut, quod actor per annum tacuerit, consequenter iudicium per sententiâ non finitum sit; Castropalaus *cit. n. 11.*

Not. autem delictum censei dedu- 2344. ctum ad forum contentiosum, non per hoc præcisè, quod Judici denuntiatum sit; sed ex eo; quod pars à Judice citata sit, juxta eorum sententiâ, qui volunt, quod à citatione incipiat iudicium per *§. fin. Instit. de pœn.* temerè litigant. juxta Gloss. *in Rubric. C. de in jus vocand.* quamvis valde probabiliter cum Barbofa *cit. à n. 29.* & pluribus alijs, dicatur, non dici aliquid propriè deductum ad forum contentiosum, *ante litis contestationem* ut rectè notat Farinac. *tom. 1. prax. crimin. q. 10. n. 35.*

Dices: licet delictum, cui annectitur 2345. irregularitas, vel alia inhabilitas, quarum dispensatio in Trid. conceditur Episcopis, si originem ducant *ex delicto occulto & non deducto ad forum, externum*, deductum sit ad hoc forum, probatum, & punitum, adhuc tamen manet dispensabilis irregularitas illa; ergo similiter impedimentum matrimonij, cuius dispensatio à S. Pœnitentiaria committitur, *si sit occultum*; & ita tenet Henriquez *l. 14. c. 9. n. 5.* Avila, Sanchez, Reginald. apud Castropal. *cit. n. 12.* quia

cessat ratio, quare delicta publica, & deducta ad forum contentiosum prohibeantur dispensari, quæ est, *ne impediatur eorum judicialis punitio*: Antecedens probabile censet Castropalaus *cit. quoad dispensationem irregularitatis, inhabilitatis, excommunicationis, & aliorum impedimentorum Episcopis commissam in Tridentino*; non autem in ea, quam concedit S. Pœnitentiaria pro delictis, & impedimentis occultis; cum revera dici occultum non possit, quod nulla tergiversatione celari potest, & super quo in iudicio sententia lata est. Sed cum hæc ratio æquæ communis sit ijs, quæ in antecedenti dicuntur de dispensationibus Episcopo commissis à Trident. rectius negatur etiam antecedens cum Suarez *d. 41. de censur. sect. 2. num. 5. Barbof. cit. num. 35. & alijs.*

§. VI.

An, & qualiter conjunx impedimenti ignarus, certior fieri debeat de nullitate prioris matrimonij?

2346. Quæstio est, an hæc certioratio de nullitate matrimonij faciendâ ignoranti latens impedimentum, pertineat ad valorem dispensationis commissæ sic, ut eâ prætermisâ nulliter fiat? affirmativam sequitur Gobat *cit. num. 243.* quia ea clausula: *de nullitate prioris consensûs certioratâ*, continet ablativum absolutum, qui æquæ hic, ac alibi, importat conditionem. *L. A Testatore de condit. & demonstrat.* conditio autem formam, per *L. qui heredi. L. Marcianus. ff. cod. & c. Cum dilecta de Rescript. cum Felin. ibid. n. 6.* ergo.

Sed probabilius est, illam certiorationem hic non apponi ut conditionem de valore dispensationis, sed tantum pro instructione confessarij, ut, cum matrimonium revalidandum sit sublato dispensatione impedimento, ignaram nullitatis prioris matrimonij super hoc edoceat, ut ad consensum facilius inducatur, si esse expediens, & salvo arcano delicti in altero, fieri possit; ita Sanchez *cit. d. 34. n. 61.* & Castropalaus *cit. num. 13.* quia, cum hæc certioratio fieri non potest sine suspitione in conjuge, de alterius delicto, vel periculo iniquitatum, aut alterius ratione mali inde verosimiliter secuturi, nec in revalidatione matrimonij requiri-

tur, ut constat ex dictis ergo nec in hoc casu dispensationis commissæ, cum apponatur sub eadem restrictione: *sed in cautè, &c.*

Ad rationem in contrar. re. dato, quod affluntur, per ablativum absolutum importari conditionem, quando conditio non subijcitur reflexè alteri, nimirum, si fieri possit citra periculum alterius gravius mali; secus, si sic importetur, ut simul reflexè subijcitur alteri, cujus substantia vix unquam sine periculo gravius mali procurari potest, ut in casu nostro, maxime si impedimentum fuit ex parte feminae, quæ deliquit. Nam, de hoc *facere suspitionem viro* (quod vix declinabitur, si de nullitate matrimonij certioratur) magnorum malorum sæpe eorum inducit, & ingentes conjugum discordias.

§. VII.

De clausula: hæc vice absolvas.

Cum in rescripto S. Pœnitentiariæ dicitur, ut delegatus Latorem à quibusvis sententijs, censuris, & penis Ecclesiasticis (quas propter præmissa quomodolibet incurrit) incestu, & excessibus hujusmodi, absolvat hæc vice in forma Ecclesiæ consuetæ, &c. quæstio est, qualiter intelligenda veniat hæc clausula: *hæc vice absolvas?*

Ante resolut. not. hanc clausulam, à quibusvis sententijs, &c. in antiquioribus Brevibus, ieu S. Pœnitentiariæ rescriptis non fuisse appositam, ut refert Gobat *cit. n. 148.* necessarium tamen fuisse subintellectam, saltem tunc, quando dispensandus erat Sacramentaliter absolvendus per delegatum à certis delictis, propter quæ censurâ ligatus Sacramentorum incapax erat; cujus ratio est, quia cum delegato concedatur eo casu jurisdictionis dispensandum absolvendi à talibus peccatis ad quod necessarium est, ut prius absolvatur à censuris, vi quarum prohibetur à receptione Sacramenti, eo ipso etiam concessa cenferi debet jurisdictionis renovandi censuras ad effectum absolutionis Sacramentalis, & revalidationis matrimonij, ut colligitur ex c. *Præterea, de offic. & potest. Judic. deleg.*

350. Dixi: ad effectum absolutionis &c. nimirum ad effectum gratiæ, ab oratore per delegatum recipiendæ; quæ continetur in rescripto. Et quamvis Gobat cit. n. 193. dicat, si pœnitens, de quo agimus; incurrisset censuram ex alia causa, quam propter incestum v. g. & incestas nuptias; non posse ab ea absolvi vi hujus Brevis, eò, quòd hoc commissioem restringat ad censuras, quas propter præmissa quomodolibet incurrit: judico tamen, si & illa censura, licet ex alijs causis, quam prædictis, incurta, impediret effectum gratiæ in rescripto concessæ, delegato etiam ad illam relaxandam saltem tacite commissioem dari; quantum necessarium est; ut dispensandus effectum gratiæ consequatur, ex num. priori.

351. Not. 2. hanc jurisdictionem, relaxandi censuras &c. ad effectum concessæ gratiæ, non competere delegato, nisi simul possit exequi dispensationem; quod non posset, si comperiret, preces veritate non niti. Cùm enim non concedatur, nisi ad effectum gratiæ, ut præmissum est: ubi dispensandus ad eam recipiendam deficit, etiam deficit ad recipiendam earum pœnarum relaxationem; cùm concedatur solum ex eo fine, ne impediant effectum gratiæ recipiendæ: at ubi deficit veritas precum, secundum quod hæc verificandæ sunt de necessitate, ad recipiendam gratiam dispensationis dispensandus deficit, cùm deficiat conditio, sine qua Commissarius illam dare nequit; ergo; his præmissis:

R. per illam clausulam: *hæc vice absolvas*, aliud non denotari, quam concessam facultatem absolvendi à dictis pœnis, & excessibus, cùm pœnitens dispensatur; non autem deinceps sæpius, & ab alijs novis post dispensationem commissis; quia in his cessat causa commissionis, quæ in hoc stat, ut pœnitens beneficio dispensationis, ineat de novo matrimonium dignè, nimirum liber à culpâ, & Ecclesiasticâ pœnâ.

352. Ex hoc autem plura rursùm dubia moveri possunt. Primum est, an delegatus, vi dati rescripti, & factæ commissioem, possit impertiri absolutionem à censuris, si dispensationem exequatur non statim, sed primò post aliquot menses, vel etiam unum, vel alterum annum?

Tom. IV.

Ad hoc R. si priùs commodè commissioem exequi non potuit, vel quòd ipse, vel quòd orator iusto impedimento prohibitus fuerit, posse etiam post unum, vel alterum annum exequi dispensationem, & absolutionem impertiri à censuris, ac peccatis, de quibus est mentio in commissioem, si interea orator non incurrit alias censuras, vel peccata reservata. Nam facultas ad hæc relaxanda, delegato commissioem, exacto illius temporis lapsu non expiravit.

Dixi 1. à censuris, de quibus fit mentio 2353. in commissioem, nimirum incurris propter prædicta. Nam de his expressè loquitur rescriptum. Sed quid, si interim incurrisset alias pœnas Ecclesiasticas vel peccata reservata? R. ubi executio dispensationis iuste dilata est, ut præmissimus, & ab his, quantum est necessarium ad effectum gratiæ per rescriptum concessæ, pœnitentem absolvi posse à delegato. Cùm enim per subsecuta peccata, consequenter incurtas pœnas, beneficium dispensationis obtinendæ, non sit extinctum, sed restet impertiendum, delegato concessum censetur, quidquid ad ejus executionem necessarium erit, juxta n. 2349. modo non sit inductum interim novum impedimentum. Hoc addo propterea, quia quoad tale novum impedimentum non extendit se commissioem; non, si consideretur secundum se, cùm in ordine ad illud nihil sit Pœnitentiariæ propositum; non etiam relatè ad impedimentum ex commissioem dispensandum; quia novum impedimentum non est necessaria dispositio ad finem, qui est dispensatio, ad matrimonium revalidandum dignè (nimirum licitè) quantum est vi impedimenti Pœnitentiariæ propositi; secus est, de absolutione prævia à censuris, & peccatis, in quantum obstant huic fini. Ea porò, quæ diximus num. 2352. confirmari possunt ex communi doctrina, quam tradit Card. de Lugo d. 20. de pœnit. num. 126. & alij, quòd, quando Pontifex dat plenarias indulgentias cum facultate (ut in jubileis) absolvendi à reservatis, inserta clausulâ: *hæc vice*, intelligatur de absolutione concessa pro illis omnibus, quorum commissioem antecedit tempus acquisitionis jubilei, hoc est, quo fit ultima dispositio, quâ posita (si omnia præviè requisita sint rite peracta)

Cccc 2

fit

fit acquisitio indulgentiarum, adeò, ut facultas absolvendi non finiatur, nisi *actu consummato*, nimirum omnibus ad lucrandum jubileum peractis; at facultas absolvendi à censuris, pœnis, & excessibus, quantum opus est, ad finem dispensationis, & revalidationis matrimonij in casu nostro, ut dictum est in prioribus, non minor est: ergo.

2354. Dixi: 2. si prius commode commissionem exequi non potuit, ut denotarem, clausulam, *hac vice*, non obstat, quò minus, ex justa causa, commissionis executio differatur; nec exigere, ut ea confessio statim fiat. Et ideo Dicastillo *d. 11. de penit. n. 348.* censet clausulam (*hac vice absolvas*) satisfieri, si prædicta impleantur, ubi aliunde annua confessio peragenda erit, & commissionem absolvendi extendi ad omnia usque ad eum diem admissa. Non enim censenda est S. Penitentiaria, confessionem aliam præcipere, vel alio tempore, quam alias Ecclesia præcipiat, consequenter facultatem absolvendi non restringere ad tempus, infra illum terminum.

2355. Ex hoc colliges juxta cit. Authorem (cujus doctrinam approbat Gobat *cit. num. 200.*) censeri, delegatum non potuisse commode commissionem exequi, si dispensandus ea, quæ ex parte ipsius præstanda erant, præsertim quoad confessionem, actualis dispensationis petitionem distulit usque ad tempus annuæ confessionis, etiam sine alia justa causa; quia scilicet confessionem (dispensationi præmittendam) apud delegatum peragere non tenebatur prius, ut dictum est n. præcedent.

2356. Colliges. 2. tempus, ad quod delegato commissa jurisdictio per clausulam *hac vice* restringitur, non debere definiri solo tempore, quo urget lex annuæ confessionis; sed potius eo, quod est usque ad actum consummatum petita, & impertita dispensationis; ita sentio cum Gobat *cit. in Theol. juridico-moral. c. 37. sect. 1. subsect. 3. n. 202.* modò petitionis, ac dispensationis executio non differatur in fraudem, vel de ~~in~~ industria, liberius peccandi, spe absolutionis, facilius per delegatum habenda; etiam ab interim commissis: sed ex fine honesto, saltem negativè, hoc est, non pravo.

Ratio hujus est, quia in rescripto S.

Penitentiariæ non præfigitur certum tempus; aliunde secundum communiem potestatem dispensandi delegata est favorabilis consequenter non restrictè, sed saltem in his, quæ in ea determinata non sunt, amplè accipienda. Cum ergo, ut ponitur casus, ea dispensandi commissio nihil definiat quoad tempus, intra quod fieri debeat, & non ultra, est (ubi conceditur quoad personas determinatas, quoad has restrictè sumenda sit) quoad tempus tamen latè interpretanda sit, ut durare censetur, donec cum poenitente dispenseur.

Ex hoc inferitur cum Gobat *cit. n. 207.* potestatem commissam quoad imperpendendam Oratori dispensando absolutionem à censuris, & peccatis, in delegato tantum diu durare, quamdiu ex rationabili causa (præsertim consentanea præscriptis conditionibus) differatur petitio, & imperio dispensationis, sic, ut his consummatis non antè finiatur; tum quia rescriptum, ut diximus, nullum terminum definit; tum quia id finis per commissionem intentus exigit.

Dices: quando Confessor petit facultatem, aliquem è Regularibus absolvendi à peccato reservato, ipsi à Poenitente manifestato, facultas ei delegata non extendit se, nisi ad *illum casum*, quem confessor aperuit; non ad alios interim à tempore hujus manifestationis usque ad absolutionem commissos; ergo similiter in casu nostro. Antecedens admittit Card. de Lugo *d. 20. de penit. n. 128.* Dicastillo *cit. n. 349.* quos citat, & sequitur Gobat *cit. n. 207.* qui pro consequenti assignat hanc differentiam, quòd eo casu concessio non feratur in aliud, quam in id, quod à Confessario ex modo, quo petit, intenditur; ex modo autem petendi in hoc casu (ubi facultas absolvendi habet rationem finis intenti à Confessore) apparet non intendi aliud, quam facultatem absolvendi, à casu sibi manifestato: in consequenti autem cum facultas absolvendi non habet rationem finis, sed medij, ut, dispensatione facta, matrimonium dignè, vel in eadem, vel malè initum revalidetur, facultas absolvendi mensuranda venit secundum rationem finis, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 27. à 6.

Ceterum quidquid sit de antecedentibus (cum poenitentes non semper delictum prius

prius aperiant in specie, sed solum in genere, quod indigeant alicui potestate, pro qua imperanda rogant Confessarium; & ipsi etiam confessarii quandoque intentionem suam, non restringant, nisi, ut in confessione, quam apud ipsos deponere intendit talis penitens, ejus anima per absolutionem, secundum indigentiam, succurrant; ab eo tamen nulla sit paritas ad rescriptum Penitentiarie; cum in hoc clare appareat, facultatem absolventi non limitari, sed concedi (utpote medium) secundum indigentiam *intenti finis*, de quo supra. Ea autem, *que sunt ad finem, & rationem accipiunt a fine*, ut recte dicit Doctor Angelicus sup cit.

§. VIII.

De clausula: in foro conscientie tantum.

150. Duplicem sensum habere potest hæc clausula; primus est, quod confessarius dispensationem facere debeat in foro penitentiae, seu intra tempus confessionis Sacramentalis; & hunc sensum, *si hujus clausula*, in Rescripto S. Penitentiarie non intendi, constat ex dictis *an. 2336*. alter, quod ea dispensatio, & prolis legitimatio, dispensatio, & legitimitas quidem proficit in foro conscientie, & quoad Deum; non autem, in foro externo, seu judiciario; & hunc illius clausulae sensum esse tenet Sanchez *l. 8. d. 34. an. 43. de Jure l. 1. c. 8. n. 196. & alij.*

Et primo, quantum attinet ad dispensationem datam pro foro conscientie tantum, Not. 1. si dispensati *taliter*, in foro judiciario (per legitimam irritantis impedimenti denuntiationem de nullitate sui matrimonij aut jam contracti convenirentur, aut a contrahendo interdicerentur, ipsi dispensationem pro foro conscientie tantum indultam, in altero foro nihil profuturam, donec de dispensatione per alia instrumenta pro foro externo legitime doceant.

250. Dixi, per legitimam impedimenti denuntiationem, quæ nimirum impedimentum desinat esse occultum juxta *n. 2341*. Nam licet, quamdiu manet occultum, imò & tunc, cum sequenti tempore fit publicum, maneat verè dispensati; foro tamen externo, ubi publicum fuerit, per hoc non prejudicatur in ordine ad ea, quæ potest in casu impedimentorum, quamdiu

non obtinent etiam pro hoc foro dispensationem; hoc enim sonat ea clausula *in foro conscientie tantum*, ut dictum est, quia per ordinem ad hoc forum res perinde se habent, ac si adhuc forent jure inhabiles; juxta *n. 2363. & seq.*

Sed quæres, an, si Ordinarius, vel Parochus, scit impedimentum, & dispensationem pro foro conscientie tantum indultam, possit tales vel admittere ad contrahendum, vel in jam contracto permittere? Videtur negativè respondendum ex eo, quia Ordinarius est Judex causarum matrimonialium; consequenter, si contrahere volentes, vel qui jam contraxerunt, in foro externo reperiantur *impediti*, illis contrahendi licentiam, istis cohabitandi negare debet; & Parochus (qui est Ordinarij Minister) se Ordinario conformare, impedimentum illorum denuntiando, juxta *c. fin. de clandest. despons.* ubi dicitur, *Presbyteros invigilare debere, utrum ali-quod impedimentum obstet*, utique ad finem vel interdicendi matrimonij contractum, vel cum impedimento contracti continuationem.

Probabilis tamen est, in dato casu posse 2363. dissimulare, & permittere, ut contrahant, vel in jam contracto permaneant; *si illis impedimentum* (quod credebatur, vel in re prius erat occultum) *juridicè non denuntietur*. Cujus ratio est, quia licet clausula dicat, eam dispensationem non prodesse pro foro externo; & ideo literæ dispensationis laniari debeant, ut dicemus; ideo solum fit, ne dispensatio facta probari possit, & effectum operetur pro foro externo; tamen non facit, quod Ordinarius non possit ratum habere, quod supposita dispensatione factum est, si revera sciat eam dispensationem rite factam. Nam *ubi constat rei veritas, nec proceditur ex falsa presumptione, idem in utroque foro censendum est* juxta Sanchez *l. 1. d. 5. n. 02. & l. 3. d. 15. n. 13*. Et ideo Henriquez *l. 14. de irregular. c. ult. n. 1. in comment. lit.* E, rectè docet, non esse molestandum in foro externo, qui dispensatur per Breve S. Penitentiarie in occulto matrimonij impedimento.

Dixi: *si illis non denuntietur juridicè*. Nam, in casu opposito, non possent dissimulare, sed Parochus deberet referre ad Episcopum, hic autem matrimonium

monium contrahendum prohibere, vel jam contractum quoad thorum interdiceret, dum in foro externo probent, se dispensatos, & pro illo etiam impetrent dispensationem. Nam tali denuntiatione recurritur ad iustitiam Iudicis, *fori externi*, quam negare non potest iudicè denuntiantium impedimentum; consequenter ad causæ denuntiatae cognitionem tenentur procedere, & causâ pendente contractum inhibere; vel si jam factus est, suspendere ejus usum, dum causâ terminetur; ita Sanchez *cit. D. 15. n. 14.*

2364. Quoad legitimatorem proles, factam pro foro conscientie tantum, similiter plura dubitari possunt. Antequam ea proponam, not. filios natos ex matrimonio bonâ fide saltem unius è parentibus inito, esse verè legitimos, *relatè ad utrumque parentem*; licet is, qui malâ fide contraxit, ex hoc non gaudeat jure *legitimi parentis*; nam favor iste conceditur à jure solum liberis, & parenti, qui fuit *in bona fide*, ut diximus supra; de quo etiam Sanchez *cit. n. 46.* Nec obstat, si dicas, sic fore *filium legitimum ex parente non legitimo*; solum enim sequitur, quod *jus concedens favorem legitimitatis filio respectu parentis* [quia ille innocens est] *non tribuat eundem favorem parenti respectu filij*, quia ille reus est, ob matrimonium *malâ fide* contractum, quibus positus:

2365. Ad questionem, quid dicendum, quando dispensatur cum aliquibus ad inendum matrimonium, simul legitimando prolem ex eo suscipiendam? sed pro foro conscientie tantum? R. talem fore, ac esse verè legitimam, & quoad spiritualia, & quoad temporalia, *in solo tamen conscientie foro*. Nam in eo tantum foro proles ex matrimonio legitimo suscepta legitimos natales habet, in quo illud matrimonium legitimum est; at in dato casu est legitimum tantum in foro conscientie (dispensatio enim limitatur ad hoc forum tantum) ut ponit casus: ergo.

Hoc tamen intelligendum venit solum pro casu, quo *uterque parens conscius fuit impedimenti*, cum qua virtute talis dispensationis matrimonium contractum est. Nam proles foret legitima in utroque foro, si cum tali impedimento (seclusâ dispensatione) contraxissent, vel utroque, vel saltem uno bonâ fide creden-

te, nullum subesse impedimentum, ut dictum est supra: ergo etiam in casu, quo saltem unius bonâ fide matrimonium contractum est cum impedimento virtute dispensationis. Nam et si hac non operetur, etiam in hoc casu, prolis legitimitatem pro foro externo, ut diximus; tamen non impedit legitimitatem pro hoc foro illi *legaliter indultam* ex matrimonio contracto propter bonam fidem, saltem unius.

Similiter, si à Pœnitentiaria dispensatur ad inendum matrimonium, *legitimando prolem jam prius susceptam*, legitimatio locum habet pro foro tantum conscientie, secundum dicta n. 2364. Nam in hoc casu ponitur proles nata extra omne matrimonium à parentibus contractum, consequenter ei prodesse non potest limitatio à nobis posita in n. 2365.

Si autem proles nata sit inito prius matrimonio, saltem bonâ unius fide, dispensatio S. Pœnitentiariæ superveniens, ut matrimonium revalidetur, dispensatio simul cum prole sic suscepta pro foro conscientie tantum, legitima erit *pro utroque foro*, hunc effectum operante non dispensatione factâ (cum sit pro foro conscientie tantum) sed aliâ dispositione legali, propter bonam fidem saltem unius è parentibus, ut dictum est tit. 17. n. 1359.

Denique in casu, quo matrimonio *validè* inito, dispensatur in foro conscientie, ut *validè* ineamur, legitimando prolem antè susceptam, distinguendum est. Nam si loquamur de prole suscepta, antequam parentes ejus etiam solo facto contraxerunt; responsio constat ex n. 2364. Item de susceptâ ex matrimonio contracto solo facto, proles erit legitima in utroque foro, si saltem unus parentum contraxit bonâ fide, ut dictum est n. 2365. Si autè malâ utriusque, legitima erit pro solo foro conscientie. Nam in hoc casu legitimitatem habet à sola dispensatione, quæ cum limitata sit ad forum conscientie tantum, limitatum producet effectum nempe legitimatorem pro foro conscientie tantum? Quid porrò importet clausula (*pro foro conscientie tantum*) in superioribus expositum est; & quia forum conscientie, ac forum pœnitentiæ, secundum diversos sensus quandoque

mittitur, ut diximus à n. 1464. inde ulterior, resolutio capienda est.

§. IX.

De clausula: *presentibus laniatis.*

Sub finem rescripti, quod dat S. Pœnitentiaria, additur hæc clausula: *nullis super his testibus adhibitis, aut literis datis, seu processibus confectis, sed presentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis late sententia laniare tenearis, ita, ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas: quod si ei restitueris, nihil ei presentes literæ suffragentur.*

Circa hanc clausulam, quæ plura complectitur. Not. 1. finem horum verborum, dicitur intentum à S. Pœnitentiaria, hunc esse, *ne hæc absolutio, & dispensatio, Latori in foro judicario ullatenus prodesse possint*; ut, si forte innotescat impedimentum, & Judex Ecclesiasticus, vel secularis, contra hos conjuges (absolutos, & dispensatos pro foro conscientie tantum) tanquam contra incestuosos, aut illegitimè conjugatos, ipsam prolem tanquam spuriam, procedere velit, frustra omnino ejusmodi processui opponant factam secum dispensationem. Nam hoc sonat *ly pro foro judicario nullatenus, vel nihil suffragentur.*

Ex hoc iterum colliges, gratias & facultates concessas *pro foro conscientie*, seu *interno*, non eo ipso ceteri concessas determinatè, ac restrictè *pro foro penitentie*, seu *Sacramentali*: nam *forum internum*, seu *conscientie* est quid superius ad *forum penitentie*; & potest esse vel *Sacramentale*, vel non *Sacramentale*, prout scilicet opponitur soli foro externo, & *judiciali*. Forum enim neutrius generis, ut rectè notat Pereyra in *Elucidar. n. 1215*, ac etiam forus generis masculini dicitur ab eo, quod controversiæ, & res venales illuc ferantur.

Forum in genere neutro significat territorium, de quo in *L. Pupillus. §. territorium. ff. de verb. sign. Forus in genere masculino* accipitur pro loco judicij, scilicet, ubi jus redditur à Judice *c. forus de verb. sign.* Juxta Hostiens. in Rubric. de foro compet. sumitur pro *judicio, jurisdictione, & potestate*. Unde idem est dicere *de foro competenti*, ac *de jurisdictione*, seu *judicio competenti*. Et dicere:

hec persona pertinet ad forum Ecclesiasticum, vel seculare; idem est ac dicere *ad jurisdictionem spiritualem vel temporalem*. Hinc casus *mixti fori* ita appellantur, quia ad utramque pertinent potestatem. Et ideo *forum* dividitur. i. in Ecclesiasticum, seu seculare; quia duplex tantum est potestas publica, qua genus humanum regitur, spiritualis, & temporalis, ut habetur in *c. Solite, de Majorit. & Obed.* Deinde juxta P. Suarez de *Legib. l. 3. cap. 21. num. 2.* dividitur in *forum externum*, & *internum*. *Forum externum*, quod alio nomine appellatur *forum fori*, est *judicium*, in quo tractantur causæ in ordine ad externam Reipublicæ, sive Ecclesiasticæ, sive Laicæ, administrationem.

Forum internum, quod alio nomine vocatur *forum poli* à S. Augustino *c. ult. 17. q. 4.* seu *forum conscientie*, est, quod intus in mente hominis, ubi conscientia residet, exercetur. Et ex doctrina Suarij de *legib. l. 8. c. 6. n. 16.* & *Parlad. disp. 12. §. 2.* (ubi clandestinè de discrimine inter *forum fori*, & *forum poli*) *forum internum* duplex est, alterum dicitur *forum penitentie*: in quo per Sacramentum penitentia tollitur vinculum peccati, absolute Sacramentali: alterum *non penitentie*, in quo extra illud Sacramentum tollitur aliquod vinculum morale v.g. censura per absolutionem. Ex quo clarè sequitur, cum exprimitur *forum internum*, seu *conscientie*; non eo ipso significari determinatè *forum Sacramentale*.

Not. 2. per ea verba: *nullis super his testibus adhibitis*, non tantum intelligi, quod non debeant adhiberi testes de dispensatione facta, sed positivè prohiberi. Nam sic possent dispensati in foro externo, se dispensatos esse, Testium depositione probare; quod omnino cautum vult S. Pœnitentiaria. Idem omnino intendunt ea verba: *nullis literis datis*, seu *processibus confectis*; ne Lator ullum habeat instrumentum, quo in foro externo se tueri posset, titulo dispensationis, quam factum illud tribunal in foro externo nulli subsidio esse posse intendit. Et ideo etiam mandat, ut delegatus *literas commissio- nis laniet*, hoc est, *sic destruat, ut nulli omnino usui esse possint in foro externo.*

Quare

Quare satisfaceret huic gravi præcepto (cum sit sub excommunicatione lata sententiæ) literas comburendo, per medium vel in plures partes lacerando, lituras inducendo non rasibiles, sigillum tollendo, & annihilando &c. Nam verbum *laniatis* non *grammaticaliter*, sed legaliter accipiendum est, nimirum juxta intentionem legislatoris; cum autem ei plene satisfiat, quocumque modo literæ corumpantur, ut in nullo foro sic corruptæ prodesse possint, non erit determinatè necessaria *laniatio*, seu *laceratio*: sed sufficiet quilibet modus corruptionis, quo inutilis reddantur, ut notat Filiucius *tr. 10. p. 2. c. 10.* quibus positus:

2373. Quæres. 1. an literæ à commissario *statim* laniandæ sint. *re.* antequam ea, quæ in rescripto continentur, plenè executus sit, non teneri. Nam obligatio laniandi literas delegato imposita importat terminum seu tempus, *satisfactio Oratore*, ut liquet ex fine rescripti.

2374. Quæres. 2. an, si delegatus vel testes adhibuit, vel literas factæ dispensationis dedit earum Latori, graviter peccaverit? & tam absolutio, quam dispensatio irrita sit? Ad 1. *re.* affirmative. Cum eos actus Penitentiaria expressè prohibeat, sub pœna excommunicationis latae sententiæ, ut constat ex n. 2368.

2375. Ad 2. videtur affirmandum, ex communi regula, quòd ablativus absolutus importet conditionem: at hic istud contingit, ut patet ex n. cit. ibi: *nullis testibus adhibitis, aut literis datis, seu processibus confectis: sed presentibus laniatis.* Deinde in fine, ubi prohibetur ulterius, *ne latori literæ restituantur*, simul additur: *quòd si ei restitueris: nihil ei presentes literæ suffragentur*, nimirum in foro etiam interno. Tum quia *pro externo* aliunde prodesse non possunt, ut ex ipsismet constat; tum quia hæc clausula: *nihil ei suffragentur*, ponitur in fine; consequenter afficit omnia priora; inter priora autem præcipuum est, quòd eum absolutio & dispensatio juvent *pro foro interno*; ergo.

2376. Nihilominus dicendum, absolutionem, ac dispensationem *pro foro interno* non fore irritam, licet delegatus gravem illam prohibitionem violet, admittendo testes, vel reddendo ei literas &c. Colligitur ex fine illius præcepti, quòd eò tendit, ne La-

tor ex literis S. Penitentiariæ, ac indulta dispensatione, in foro judicario contra processum Judicis se tueri, ac defendere possit, si contra eum, tanquam incestuosum, vel nulliter conjugatum, Judex procedat: ita Sanchez l. 8. D. 34. n. 42.

Ad rat. in contrar. *re.* per ablativum absolutum non importari conditionem, quando conjungitur cum dictione *ita*, sed solum quandam modum cum certis qualitatibus servandum, *ad licitè operandum*, quo ex præcedentibus infertur, quid dispositum sit, non tantum quoad actum excutendum, sed etiam quoad cavendum, et contra disponentis intentionem plusquam intenderit, inde usurpetur, quam in dispositione concessum sit; ut notat Barboza in *dictionibus V Ita n. 6.* Et ita contingit in præsentibus, ut patet ex ipsismet rescripti verbis ibi: *presentibus laniatis, ita ut nullarum exemplar extet. &c.*

Ad alterum in n. 2375. nego, per eam clausulam intendi hunc sensum, ut presentes literæ nihil ei suffragentur in foro interno. Nam, etsi clausula in fine posita referatur ad præcedentia, & *quidem omnia*, intelligi tamen debet, ea, quæ sunt *ad finem dispositionis sic clausula intantum*; non ad alia: at dispositio, *ne literas Latori delegatus restituat, sed laniat, ne ullum exemplum extet*, clausula hæc terminis: *si restitueris, nihil ei suffragentur*, intendit solum, ne Lator in foro externo ex illis literis ullam sibi defensionem sumere possit.

Hujus ulterior ratio sumitur ex ipso verbis: *nihil ei suffragentur*. Nam, ut rectè notat Sanchez l. 8. de matr. D. 29. n. 11. quando dicitur literas v. g. nondum expeditas (vel non laniatas) *non suffragari*, non est idem, ac gratiam in illis contentam non valere; quia verbum *suffragari* respectu forum contentiosum, & propriè significat aliquid ad controversiam pertinens, ut notant communiter Doctores *ad Rubricam C. de suffrag.* Et ideo etiam, quando dicitur, *ut non suffragentur in iudicio, vel extra*, non est sensus, quòd non valeant, sed solum, quòd non profint, non modo in iudicio, sed etiam, si extra illud aliquis opponat; ita Sanchez cit.

Illam porrò verba: *laniare tenentis ita, ut nullum earum exemplar extet*, accipienda sunt de exemplari authentico. *et*

enim tale non fit, prodesse nequit in foro externo, quod unice cautum intendit præceptum sub excommunicatione laticum, de literis laniandis. Ex quo fit, si delegatus rescriptum illud sibi descriptum reservaret ad finem aliquem honestum v. g. ad ejus clausulas exacte omnes suo studio examinandas, nihil acturum contra eam prohibitionem originali destructo.

In idem tendunt ea verba: *neque e. is Latori restituas*; intelligitur enim de literis retinentibus formam integram, ac authenticam. Quare, si eas dilaceratas, vel amoto sigillo, vel lituris illitas, maxime in partibus substantialibus, traderet Latori, nihil contra dictam prohibitionem ageret; quia sic ei nulli usui esse possent in externo foro.

Quæres. 3. an si delegatus Latori restitueret literas S. Penitentiariæ integras, ac illas quoad formam authenticam, præter peccatum grave, de quo id diximus, etiam incurreret excommunicationem latae sententiæ, de qua in rescripto, ut constat ex verbis ejus? Et fortè dici posset, quod non; quia textus expressè loquitur de laniatione literarum, ibi: *quas sub pena excommunicationis laniare tenearis*; & primò post subjungit prohibitionem, *ne Latori restituat*, & quidem sub pena: *ne illi suffragentur*; cum ergo dispositio penalis extendi non debeat, nisi cogar ratio; dicendum videtur eam penam dictæ excommunicationis ex hoc facto, licet graviter peccaminoso, non incurrere.

Verùm rectius affirmatur, spectato fine, quem Legislator intendit hac dispositione penali, qui est, *ne Lator in foro judiciali rescriptum authenticum producere possit, aut per exemplar earum aliquod authenticum se tueri contra forum conscientiasum*; at hoc non caveretur, si ei restituerentur literæ, aut testes admitterentur, aut aliud earum exemplar traderetur, cum attestazione, quod omnino par sit originali; ergo. Et ideo ad incurrendam dictam excommunicationem sufficit, violare prohibitionem quocunque actu, quo cluderetur finis à S. Penitentiaria intentus; cum, ad hunc finem obtinendum certius, tam gravis pena Apponatur.

Tom. IV.

Ad rat. in contrarium. R. non debere attendi verborum ordinem, sed finem intentum à disponente per appositam transgressoribus penam; at finis intentus, ut præmissum est, vult caveri omnes eas actiones, quibus literas S. Penitentiariæ, Lator dispensatus, obtineat, ut ijs uti possit in foro externo; quod utique fieri posset, si ei integræ restituerentur. ergo.

Ad id, quod dicitur, *dispositionem penalem non debere extendi ad casum non expressum in ea*, omnino concedo, quando casus, vel actio, ad quam porrigitur, non est ex ijs, sine quibus nequit stare finis per dispositionem penalem intentus; at in nostro casu, restituendo Latori literas integras non staret finis per dispositionem penalem intentus, ut jam ostensum est; ergo ad hunc casum extendi debet; vel rectius, ergo casus iste est sub penali dispositione comprehensus. Finis enim efficaciter intentus necessitat ad media unice necessaria.

Neque propterea inutilis est clausula, quod ei nihil suffragentur. Esto enim ex ipsis verbis, *pro foro conscientia tantum*, satis innuatur, non prodesse in foro externo; quia tamen Advocati, ut solent, pro suis clientibus, quidquid possunt, excogitant, & modò veri speciem habeat, amplificatis juribus cumulant, & produunt: si haberent illud rescriptum in forma authentica, facile clientem suum, præsertim apud Judices non peritos, etiam in eo foro tuerentur contra intentionem S. Penitentiariæ, quæ propterea expressis omnino verbis declarare voluit, nihil ei debere prodesse, licet in foro judiciali, etiam in authentica forma, producerentur, & advocatus suaderet (*Cum causa matrimoniales sint fori solum Ecclesiastici, & per authenticas Ecclesiæ literas constet, rite dispensatos*) nihil eis ab externo foro debere opponi.

§. ULTIMUS.

Proponuntur summam clausula in literis S. Penitentiariæ pro foro conscientia dispensantis?

Cum ex dictis constet rescripta Sancti Penitentiariæ nunc in multis differre ab

Dddd

re ab

re ab ijs, quibus olim utebatur, illud paucis exponendum suscipimus, quod ex recentioribus esse testatur, & refert Gobat in *Tract. Theol. juridico. cap. 37. sect. 5. subsect. 1. num. 141.* In eo primum ponitur nomen summi Pœnitentiarij, cujus autoritate, à Summo Pontifice delegatâ, ejusmodi commissiones dispensandi in casibus matrimonialibus emanant.

Expresso igitur summi Pœnitentiarij nomine, subjungitur: *Discreto viro Confessori, quæ verba exposui n. 2307. & seqq.* additur deinde; *Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctore, ex approbatis ab Ordinario, per Latoris presentium, ad infra scripta, specialiter, eligendo salutè in Domino.* Unde colliges, *Latori* (seu supplicanti S. Pœnitentiariæ pro gratia dispensationis) ab eadem concedi facultatem, sibi eligendi confessarium aliquem, quem voluerit, à quo gratias in literis descriptas tanquam delegato illius S. Tribunalis accipiat, modo habeat illas qualitates ibidem expressas. Qualitates porro, quas confessarius (validè à Latore eligendus) de necessitate habere debet, sunt. 1. *quòd sit ex approbatis ab Ordinario*, quorum verborum expositionem dedi à n. 2319. Deinde, *quòd sit Doctor Theol. vel juris Canonici* non solo exercitio, sed dignitate secundum verborum expositionem à num. 2307. aut saltem ad hoc privilegio speciali munitus juxta n. 2313.

2383. Sub hæc rescriptum narrat Oratoris factum, & inde incursum impedimentum (pro quo dispensari cupit) his verbis: *Ex parte Latoris presentium, nobis oblata petitio continebat, quòd ipse aliàs matrimonium cum muliere, cujus sororem antea carnaliter cognoverat (intellige copulâ consummatâ; nam aliàs non contraxisset affinitatem) publicè in facie Ecclesiæ contraxit, & successerit consummavit, utique malè fide, ut colligitur ex postulata super his absolutione, & pœnitentijs desuper imponendis.* Hæc verba ostendunt impedimentum, cujus dispensatio prebatur, fuisse affinitatis in primo gradu lineæ collateralis æqualis, ex copula cum sorore uxoris, quam post contractam affinitatem duxit. 2. petitionem fuisse pro absolutione à dictis excessibus, & pro matrimonio (nulliter con-

tracto) revalidando, obtentâ impedimenti dispensatione.

Subditur: *Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, Lator prædictus, ob impedimentum ex præmissis processum, in dicto matrimonio remanere nequeat absque Sedis Apostolicæ dispensatione: ad vitanda scandala, quæ (si divortium fieret inter eos) verosimiliter oriri possent; ac, pro sue conscientie quiete, cupit à præmissis (quæ sunt occulta) & de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi, super hoc, opportuno rædicio providere dignaremur.*

Hæc verba continent. 1. causas S. Pœnitentiariæ ab Oratore propositas. 1. ad impetrandam absolutionem ab eo delicto, seu peccato illicitæ copulæ. 2. ad impetrandam dispensationem in foro conscientie pro matrimonio contracto cum impedimento affinitatis illegitimæ in primo gradu lineæ lateralis æqualis; quantum prima fuit, quòd si matrimonium illud, negatâ dispensatione, deberet separari, verosimiliter scandala essent oritura; vel oriri possent, ut ibi dicitur; secunda quies conscientie Oratoris de peccato, unde nata est affinitas illegitima, plurimum dolentis. 3. quòd hoc impedimentum esset occultum.

Ex hoc colliges confessionem Oratoris (à S. Pœnitentiaria præscriptam, ut patet in seq.) delegato faciendam, hanc (audiatâ prius ejus confessione sacramentali) ex eo esse, quia super illis excessibus, de quibus in prædictis, non erat absolutus, sed absolvi petebat; quo confirmari possunt ea, quæ diximus in superioribus, non improbabiler dici, non requiri confessionem sacramentalem, si super dictis excessibus, censuris, & pœnitentijs jam absolutus esset ante.

Porro ad petitionem, dictis causis subnixam, emanavit à S. Pœnitentiaria sequens rescriptum. *Nos itaque, qui Pœnitentiaria Domini P. P. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, autoritate Apostolicâ, specialiter nobis concessâ, discretionem tuam committimus, &c.*

Ex his verbis colliges. 1. prædictas causas, S. Pœnitentiariæ vitas esse, *sufficientes*, & receptas, ad impetrandam; pet-

delegatum, non tantum absolutionem ab eo peccato fornicationis, matrimonij stante dicto impedimento contracti, & consummati; sed etiam ipsam dispensationem sub terminis, quos in seq. exponemus, ut patet ex illis verbis hujusmodi *supplicationibus inclinari committimus*. Unde deducitur, in hoc Tribunali sacro, ubi dispensationes committuntur pro solo foro interno, sufficere causas minus graves, ac exigantur pro foro externo, ubi impedimentum publicum est.

237. Colliges 2. Summum Penitentiarium in tali casu agere vices Summi Pontificis; ac ea, quae commissario in referipto exequenda committit, committere auctoritate Papae; eademque munus procedere commissarium adest, ut in hoc nulli alteri subicit, ne quidem Ordinario suo, ut diximus in prioribus: constat ex illis verbis: *Auctoritate Apostolica nobis specialiter concessa committimus discretioni tuae*; quid autem importent haec postrema verba, exposuimus supra.

238. Sub haec verba: *discretioni tuae committimus*, sequitur mandatum commissio- nis, & modus à delegato in executione mandati observandus, sequentibus verbis: *quatenus, si est ita, dictum Latorem, audità prius ejus Sacramentali confessione, ac sublatà occasione, si qua adhuc extat, amplius cum dicta sorore peccandi, à quibusvis sententiis, censuris, & penis Ecclesiasticis (quas propter praemissa quomodolibet incurrit) incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiae consueta*.

239. In hoc rescripti §. ut patet ex praemissis verbis, continetur prima pars mandati de impedienda oratori absolutione tum à sententiis, censuris, & penis Ecclesiasticis, tum ab incestu, & alijs excessibus ejusmodi, quatenus, *si ita est*. Haec clausula in praesenti videtur idem sonare, ac *in quantum ita est*, absolvas. Nam ista clausula, sub his terminis, videtur tacite inesse dispositioni praesenti, ut in simili diximus de hac: *si preces veritate nitantur*; unde non facit commissionem conditionatam; nec suspendit jurisdictionem usque ad ejus verificationem, ut diximus. ipsum tamen commissarium cohibet, ne procedat ad absolutionis, vel dispensationis exercitium;

Tom. II.

donec ea, quae debent, verificentur; ad quod tamen sufficit cognitio extrajudicialis, ut diximus supra. sic Barboza *claus. 154. d. n. 8.*

Aliud tamen dicendum foret, si textus 2390. haberet, *quatenus si ita esse compereris*, ut diximus. Nam hoc suspenderet jurisdictionem juxta dicta; sic enim aliter exprimeretur; quia tunc ly, *si ita est*, non exprimitur, prout tacite inest, sed aliter, prout Barboza *cit. n. 11.* refert decisum à Rota; *decis. 155. n. 1. p. 1. in Posthum. Farinac.* & ostendimus jam superius. Et ideo etiam rectè notat Vincentius de Justis *l. 1. c. 8. n. 127.* dictam clausulam sic propositam (*quatenus, si ita esse, per diligentem oratoris examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi praesita, inveneris*) in prima parte (quoad verificationem praecè) importare formam; in secunda verò (quoad consilia & monita) solam instructionem confessarij. Intellectum autem, ac sensum eorum verborum: *audità prius ejus sacramentali confessione*, dedimus jam superius.

Per illos terminos: *sublatà occasione, si qua adhuc extat, amplius cum dicta sorore peccandi*, intelligitur *ocasio proxima*, qualis est, si soror uxoris simul in eadem domo manet cum haecenus putativis conjugibus, & vir etiam durante hoc matrimonio non semel cum ea lapsus esset. Si autem sit alibi, vel etiam in eadem quidem domo, sed citra morale periculum recidivae, non dicitur, *adhuc extare occasio nimirum proxima cum ea peccandi*; ita Card. de Lugo *D. 14. de Penit. sect. 10. Dicastillo tom. 2. de Sacrament. D. 6. d. 19.*

Probabilius autem est, hanc occasionis adhuc extantis remotionem fieri debere ante absolutionem, ne detur indisposito, seu remanenti in occasione proxima peccandi. An autem praerequiratur de necessitate sic, ut alias non valeat dispensatio, dubitari potest? Affirmativam tenet Gobat *cit. c. 37. n. 190.* & probat à simili de clausula, *satisfactà parte*, quae apponi solet in jubileis. Sed argumentum à simili, nisi fundetur in medio communi utrique & univ ersaliter intento à Legislatore parum probat; *ex lib. 1. tit. 2. de Constitut. & diximus supra à n. 1598.*

Dddd 2

Videtur

2392. Videtur tamen in eo fundari posse, quòd, sicut parti læsæ non satisfaciens, cum potest, non est rite dispositus ad absolutionem; & accipiendam jubilæi indulgentiam; sic occasionem peccandi proximam non deserens, cum potest, non sit rite dispositus ad recipiendam absolutionem; & ineundum, vel revalidandum dignè matrimonium, consequenter sicut ibi *satisfactio-parris*, ita hic *remotio-occasionis*, de necessitate requiratur.

Cujus ulterior ratio est ex Sanchez *cit. l. 8. d. 34. n. 27.* ubi docet, non omnia in rescripto posita importare formam, seu conditionem, sine quâ non, sed ea tantum, quæ continent quid substantiale, & magni momenti, cujus ommissio grave præjudiciû pareret fini per rescriptum intento: & in nostro casu remotio proximæ occasionis peccandi, cum potest, est res magni momenti ad matrimonium dignè vel ineundum, vel revalidandum; ergo.

Hinc quando in dispensatione, *cum illegitimo*, addi consuevit hæc clausula: *dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit*, juxta Sanchez *cit. n. 27.* (etsi ea imitetur formam conditionis) conditio tamen non est, sed mera instructio; cujus defectus non vitiet dispensationem; quia non continet aliquid substantiale, aut magni momenti ad finem tali rescripto intentum; sed potius præludium aliquod, ac animi præparationem; ita etiam Pyrrhus Corrad. sæpe *cit. l. 3. c. 1. n. 19.* quia aliàs innumeræ dispensationes irritæ, ac nullæ forent.

2393. Nec obstat, quòd in contrahente, vel revalidante matrimonium status peccati non inducat indignitatem, vel inhabilitatem, cum quâ stare non possit valor matrimonij; sicut inducit in volente lucrati indulgentias plenarias. Nam, etsi hoc verum sit; ratio tamen assumpta adhuc stat. Ideo enim non satisfaciens parti, est inhabilis ad recipiendum jubilæum, quia caret qualitate, quam concedens jubilæum exigit, in illud lucraturus; sed etiam non dimitrens occasionem peccandi proximam, caret qualitate, quam concedens dispensationem, exigit in recepturo gratiam, nimirum ut *Sacramentaliter prius sit absolutus ab illis excessibus, & non retineat occasionem peccati proximam, cum expedire se potest ab illa*; ergo.

Et confirmatur, quia si dicatur: *absolutus, & dispensatus, postquam omnem remaneat conversationis occasionem abstulerit*, Confessarius nec debet, nec poterit ad absolutionem, & dispensationem procedere, non ablatâ prius eâ occasione, ut docet de Justis *cit. l. 1. c. 8. n. 202.* sed dicere *sublatâ occasione*, idem est, ac *postquam sublata fuerit*, quod satis aperte importat conditionem propriè dictam, etiam a delegato implendam; ergo.

Sequitur: *a quibusvis sententijs, censuris, & penis Ecclesiasticis absolutus*. Quid importent, & qualiter intelligenda veniant hæc verba, non obstantibus terminis limitantibus, qui sequuntur, *hæc quas propter præmissa quomodolibet incurrit*, latè dictum est superius. Not. tamen per eum terminum *a quibusvis*, comprehendendi quamlibet sententiam, censuram, vel penam Ecclesiasticam, propter prædicta incurram quomodolibet; nimirum five incurram dispositione legis, five sententiâ hominis. Nam *ly quomodolibet* comprehendit omnem modum incursum censurarum, five a jure, etiam specialibus, five ab homine latorum, nisi in casu particulari sit exceptio, ut notat Gonzalez ad 8. Reg. Cancell. Gloss. 29. & alij, quos citat & sequitur de Justis *cit. n. 203.*

Eadem commissio absolventi non est tantum a quibusvis sententijs, & penis Ecclesiasticis propter præmissa incursum, sed etiam *ab incestu, & excessibus hujusmodi*. Ubi not. copulam habitam esse *forore uxoris*, antequam hæc ab ipso carnaliter fuit cognita, non fuisse propriè incestuosam, ex dictis; quia foror dicitur mulieris *tunc*, quando eam carnaliter cognovit Orator, nec fuit hujus continentia, nec affinis, ponitur enim matrimonium inter Oratorem, & dictam mulierem primò initum factò, post habitam copulam cum ejus forore; si autem ponatur hæc mulierem jam fuisse sponfam ejus futuro; copula cum forore sponse fuit quidem incestus improprie, ut diximus *ad n. 1143.* sed tunc nullum præstat impedimentum, solum impediens matrimonium secundum dicta tit. 13. Unde censendus est textus loqui *de incestu*, quem commisit consummando matrimonium facti; vel post matrimonium facti consummatum, etiam de novo cum uxoris forore, quod

quod etiam significari videtur illis verbis: *& excessibus huiusmodi*. Qualiter autem intelligenda veniat ea clausula: *hac vice absolvas*, expositum est *in n. 2358*. & quod additur: *absolvas in forma Ecclesie confueta*, nihil denotat peculiare; sed solum significat, eam absolutionem esse tribuendam *in illa forma*, qua Ecclesia in absolutione, sive a censuris, sive a peccatis, uti solet. Et ideo nulla peculiaris forma praescribitur, ut docet Bonacina *d. 1. de legib. q. 2. p. 2. n. 19*.

2396. Not. autem, quod forma Ecclesiae confueta *pro censurarum absolutione*, non necessario importet formam *Sacramentalis*, seu absolutionem in actu Sacramentalis confessionis, ut recte notat Sanchez *cit. l. 8. d. 34. n. 29*. ubi id probat pluribus exemplis. Nam Iudex Ecclesiasticus non Sacerdos potest absolvere ab excommunicatione in foro conscientiae, cum tamen non possit audire confessiones; ita Navarr. *summa c. 27. n. 41. D. Antonin. 3. p. in. 24. c. 77*. Deinde Trident. *sess. 24. de reform. c. 6*. Episcopis concedit facultatem in foro conscientiae absolventi a quibuscunque casibus occultis, & tamen praxis habet, ut extra confessionem absolvant; ita Sanchez *cit.* & apud eund. Navarr. id eos posse affirmat.

2397. Post hac in eodem rescripto subjunguntur opera poenalia, in hoc casu, dispensando imponenda, ibi: *in junctis inde ei, pro tam enormis libidinis excessu, gravi poenitentia saluati, ac confessione Sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimam semel, aut quoties tibi videbitur; & alijs, quae de jure fuerint imponenda*.

Primum igitur est, *gravis poenitentia saluati*, nimirum relate ad gravitatem culpe, & bonum animae poenitentis; a qua est absolvendus. Unde, si ab illis peccatis, & censuris, jam ante absolutus fuisset, nec Confessarius eam tunc imponere; nec poenitens acceptare teneretur. Cum enim imponenda dicatur ex suppositione absolutionis Sacramentalis ab illis delictis; haec autem suppositio impleri non possit, nisi poenitens ea confiteatur; confiteri autem iterum, postquam semel rite confessus, non amplius teneatur; recte sequitur in tali casu non esse obligationem

ejusmodi poenitentiam gravem vel imponendi, vel acceptandi.

Si autem nondum ea confessus, primo 2398. tunc delegato confiteretur, quaestio est. 1. An Confessor ex certis causis possit mittere poenitentiam? 2. An satisfaceret obligationi poenitentiae salutaris in hoc casu, imponendo quaedam alia opera, loco orationum, spiritualia v.g. *elemosynam, corporis afflictionem, aut jejunium*, &c. Ad 1. R. affirmative, quando concurrunt tunc illae circumstantiae, ac tituli, ex quibus etiam in alijs casibus licite imponi potest minor poenitentia pro peccatis, quibus (seclusis illis titulis) deberetur major. Tales tituli sunt, si eo die sint indulgentiae plenariae, si poenitens accedat valde contritus, si jam praestitit sponte gratia poenitentiae opera, aut deinceps assumpturus prudenter creditur, &c. Nam sic jam verificatur, quod gravis poenitentia salutaris imposita sit non minus hic, ac in alijs casibus.

Ad 2. respondet negativè Lezana *tom. 2399. 3. V. Clausula. n. 50*. volens, nomine *poenitentiae salutaris* hic intelligi *orationes, susceptiones Sacramentorum*, & alia spiritualia opera; *non elemosynam, vel aliam corporalem afflictionem*, nisi ex adjunctis oppositum colligatur. Verum multo probabilius est, nomine poenitentiae hic venire etiam elemosynam, jejunia, flagellationem, & similia opera poenitentiae; cum & istis peccata redimi, hoc est, quoad reatum poenae, extingui possint; & frequenter in Sacramento poenitentiae, pro satisfactione imponantur. Et ita tenet de Justis *cit. l. 1. c. 8. num. 153*. Sanchez *cit. d. 34. n. 41*. & alij.

Secundum opus poenitentiae, Oratori imponendum in dato casu exprimitur *confessio sacramentalis quot mensibus, singulis scilicet mensibus ad minimum semel, aut quoties delegato videbitur*. Circa praescriptum hoc opus, plures moventur difficultates. Prima est, an confessor debeat ea imponere Oratori dispensando, ut ea peragat *in perpetuum*, vel an possit *solum ad tempus*? Ante resolutionem notandum, nos hic agere de operibus a delegato imponendis *pro poenitentia* ob delictum, propter quod incurrit impedimentum, in quo dispensatur. Aliud enim dicemus de

de operibus, in quâ sit commutatio voti, ut patebit in seqq. his positis.

Re. cum de Justis cit. l. 1. c. 8. num. 154. quando pœnitentia non præscribitur in mandato, ut sit perpetua, posse dari temporalem. Nam quando mandans intendit perpetuam, exprimit. Unde, nisi exprimat, cum sumus in pœnalibus, in dubio faciendâ est benignior interpretatio, per reg. Oclia. 15. de Reg. Jur. in 6. & L. Cum quidam. 19. ff. de Liber. & posthum. sed in hoc rescripto, ubi fit mentio pœnalia operum imponendorum, non exprimitur, quod debeant esse perpetua; ut patet ex n. 2397. ergo.

2401. Contrarium tenet Gobat cit. c. 37. num. 213. dicens: quod hæc clausula (*singulis scilicet mensibus*) significet hic confessionem mensuram, quæ fieri debeat per totam vitam, cujus unica ratio videtur esse, quod propositio indefinita (qualis est: *singulis mensibus*) æquivalet universali, juxta Gloss. in c. Ut circa, de Elect. V. aliorum, & Bartol. L. omnes populi, de Just. & Jure.

Verum hæc ratio non probat; cum manifestum sit, ly *singulis mensibus* posse intelligi vel per totam vitam, vel per tempus definitum, ac determinatum v. g. *singulis mensibus per unum, aut plures annos vitæ*: debere autem accipi in secundo sensu, plures rationes suadent. Prima est ex num. 2400. quia contra disponentem faciendâ est interpretatio in non expressis, quæ exprimere poterat; & si voluisset, debebat: secunda quia pœna, indubio, mitius accipiendâ sunt, ut ibidem diximus.

2402. Tertia; quia in casu hujus rescripti, pœna (qualis est *in homine coniugato mensura confessio per totam vitam*) non est imponenda, nisi quæ, etiam extra illum casum, in alia ejus confessione, secundum modernum usum Ecclesiæ imponi solet (nam ex illa circumstantia accipiendâ dispensationis *in ratione culpe*, non evadit gravius) atqui talis pœnitentia injungi nunc non solet, si pœnitens ea delicta confiteretur alteri, non delegato ad dispensandum; ergo. Et ideo, licet ea propositio sit indefinita quoad menses, ut comprehendat *singulos illius temporis*, quo pœnitens debet; non tamen est indefinita quoad tempus, & annos, ut determinet omnes annos vitæ.

Secunda difficultas est, an in dato casu confessor delegatus possit confessionem mensuram, ut *minimum semel quovis mense*, in rescripto expressam, restringere, v. g. ad confessionem intra bimensem, vel trimestre, &c. Variæ sunt opiniones in hac questione, ut videri potest apud Gobat cit. n. 214. negantem; debere autem posse questionem generatim definitam, ubi Breve expressè dicit: *singulis mensibus ut minimum semel*.

Judico tamen, generatim hoc dici posse, id definiendum arbitrio delegati; mirum maturè perpensis circumstantiis culpæ, personæ, qualitatibus ejus, actibus, cum quo ejusmodi obligatio componi possit. Nam prudenter censori non potest, quod S. Pœnitentiaria, impertiendo gratiam dispensationis, & absolutionis ad quietem animæ, impositione operum pœnalia, velit simul injicere laqueum, seu obligationem ad præstanda, quæ cum tali statu perquam ægrè ac difficillimè componi possunt.

Ex hoc colliges, ex illis verbis (*ut minimum semel*) non rectè concludi, delegatum posse pro sua libertate, & frequentiore, quàm semel quovis mense, confessionem injungere, cum clarè addatur, *quoties tibi videbitur*; quæ verba non libertatem, sed prudentiale iudicium exigunt; quo, consideratis omnibus, in executione inseparabilibus, prudenter præcari possit, expediens esse bono animæ Oratoris dispensandi (*sub talibus suis statibus, & functionum circumstantiis*) ad frequentiore confessionem intra mensem, et quolibet mense, præsertim gravius, obligare; quod non nisi in casu, forte rarissimo, evenire potest, ut notat Sanchez cit. d. 34. n. 35.

Not. præterea, si contingat, factâ dispensatione, unum opus in pœnitentiâ Oratori præscriptum, (v. g. confessionem mensuram) una, alterave vice, aut etiam pluries omitti, non propterea irritum reddi absolutionem, vel dispensationem; cum utraque purè detur, & modus appositus, licet non observatus, in foro conscientiarum, non invalidet actum v. g. matrimonium contractum; cum semel ritè contractum non sit amplius irritabile, ut ex dictis constat; & quidem, si ea omittenda fuerit ex justa causa excusante (quales sunt illæ,

illa, quæ in certis casibus eximunt ab obligatione legis humanæ) non peccaret; secus si sine iusta causa; obligatio tamen supplendi alio mense, quod priori culpabiliter omisissum est, probabilius negatur; cum opus illud non minus sit alligatum tempori, quam auditio sacri, vel jejuniæ, quod die constituto prætermisissum, non est alio ex obligatione supplendum.

446. Quæri adhuc potest. 1. an Orator satisfaceret obligationi confessionis menstruæ per eam ipsam, quam tali mense debet alio titulo, v. g. voti, vel ex certis causis alijs, & in alia confessione impositam? 2. an omitteus semel confessionem menstruam mortaliter peccet? 3. an hæc confessio menstrua injungenda sit Oratori à delegato; si vel huic non confiteretur; vel huic confitendo incestum (utpote jam alias rite confessum) tunc omitteret? 4. an, si Orator se participem faceret alicujus jubilei concessi, adhuc teneretur ad penitentias vindicativas, quæ ex præteritis confessionibus supersunt.

447. Ad 1. Negativè respondet Diana p. 8. tr. 3. resol. 109. & alij apud Gobat cit. n. 220. sed probabilius affirmatur. Nam uno, eodemque actu, satisfieri posse duplici obligationi, in multis casibus extra dubium est. Sic habens obligationem fervendi castitatem ex lege temperantiæ, & voti, in uno actu utrumque implet, & qui ducit defloratam, quam ex justitia (titulo damni) & promissione parenti deflorata facta, ducere debet, utrique, unico nuptiarum actu, satisfaciunt.

Quia tamen hoc universaliter non procedit, ut patet in debito justitiæ, cui non satisficit dando id, quod ex voto debetur pro elemosyna, &c. nonnulli statuunt hanc regulam (quoties cunque ex duabus obligationibus, neutrius propria materia est opus supererogationis, seu voluntarium, toties in dubio standum est pro identitate unius operis, quo utrique satisfiat. Nam non identitas, seu exigere distinctos actus, est onus, quod in dubio, præsertim ubi versamur in penalibus, non est imponendum; ita P. Henricus Herdineck, vir magni spiritus, & doctrinæ, præsertim in moralibus, in tract. M. S. de Legib. Viennæ Austriæ. A. 1665.

448. Ad 2. Gobat cit. n. 222. saltem implicitè affirmat, dicens, se non audere nega-

re. Nam hæc obligatio particularis regulatur juxta præceptum generale, de annua confessione, sacri auditione die festo, jejunio, &c. primum enim in unoquoque genere est exemplar reliquorum; cum ergo præceptum generale de prædictis ad mortale obliget singulis temporibus præscriptis; obligat & hoc particulare singulis mensibus.

Verùm hæc ratio mihi non videtur sufficiens ad asserendum, peccatum esse mortale, unicam dictæ confessionis omissionem. Nam dicere, quod sacrum tribunal ad eam confessionem menstruam quot vicibus obligare voluerit, sicut quot diebus ad jejuniæ in quadragesima, vel auditionem sacri quovis die festo, & non minus in omissione primi casus, ac secundi toties quoties peccare, est argumentum à simili, quod revera ad statuendum peccatum mortale, non sufficit.

Continua & quotidiana corporis maceratio per abstermentiam (qui est finis intentus in jejunio illius temporis) est utique medium magis necessarium ad eum finem; & interpolata, & certis solum diebus per auditionem sacri Deum colere, non est opus tantæ difficultatis, ac arcana sua omnia (quorum occultationem natura tantum curat) tot vicibus revelare. Accedit, quod opera satisfactionis pro peccatis etiam in confessione præscripta; non ita determinatè censentur imposita; quin per alia compensari possint, &c. ergo a materia, quam respiciunt præcepta certis diebus jejunandi; sacrum audiendi, recitandi horas canonicas, &c. ad materiam penitentiam à Confessore delegato ad dispensandum impositæ ex mente S. Tribunalis non rectè arguitur; præsertim, cum rescriptum commissionis non utatur verbis graviter præcipientibus, nec etiam usus pro gravitate, ut in illis, sic in præfenti casu, communi sensu sit receptus.

Ad 3. pariter affirmat Gobat cit. n. 225. 2410. quia hoc ipso, quod S. Penitentia jubet, hanc confessionem imponi ultra penitentiam salutarem, seu Sacramentalem, satis indicat, esse suam mentem, ut absolute injungatur, & quidem etiam extra forum Sacramentale, si non confiteatur is, cum quo dispensandum est. Sed in hac ratione negari potest, eam confessionem esse extra penitentiam Sacramentalem;

talem; nam quòd specificetur post generale nomen *penitentia sacramentalis* (quæ in non expressis relinquitur arbitrio delegati) solum sequitur, *hanc specie salutarem penitentiam*, determinari ab ipso Tribunali sacro, pro casu confessionis, à delegato, præter aliam, esse injungendam; præsertim, cum sequens clausula, & alijs, *quæ de jure fuerint injungenda*, satis aperte distinguat ea, quæ non habent rationem penitentia sacramentalis, ab his, quæ præcesserunt, nimirum à confessione menstrua, & reliquis, quæ dispensando pro salutari penitentia injungenda sunt.

2411. Ad 4. affirmativam sequitur Gobat *cit. n. 226.* rationem dat; quia licet indulgentia plenaria, intra & extra jubilæum, sint ita de penitentia injunctis, ut, qui lucratus est indulgentiam plenariam, non teneatur penitentia vindicativa, quæ ex præteritis confessionibus superiunt, perficere, prout docuit in Tract. de Jubilæo duplici *n. 217.* & hic supponit; ea tamen doctrina extendenda non est ad hanc confessionem menstruam; tum quia illa doctrina intelligitur de penitentia, quæ ut pars integralis Sacramenti imponitur; tum quia hæc confessio menstrua est poena valde extraordinaria, proinde non intelligenda sub generali remissione penitentiarum; *arg. c. In Generali, de Reg. juris in 6.* ibi: *In Generali concessione, vel prohibitione non veniunt ea, quæ speciali notâ digna sunt.*

Verum, si ea generalis doctrina vera est, de qua in anteced. sermo est, videtur rectè inferri, idem dicendum de hac particulari, conclusione non extendente, sed includente hanc particularem sub ea universali. Nam r. immeritò negatur ea confessio habere rationem penitentia, seu partis inclusæ in satisfactione, quæ est pars integralis Sacramenti penitentia, ut diximus *n. 2410.* cum expressè inter ea, quæ pro tam enormis libidinis excessu, à delegato sacramentaliter penitentem absolvente, imponi debent in satisfactionem, præter alia, quæ delegati arbitrio permittuntur sub verbis generalibus, *inunctâ ei penitentia salutari*, copulativè, & in specie etiam, exprimat eam confessio, ibi: *ac confessione sacramentali, &c.* & primo tunc subjungatur, & alijs, *quæ de*

jure fuerint injungenda, nimirum *etiam sacramentaliter*, & alio titulo v.g. debiti honoris restitutio, vel damnorum, &c. Nam hoc de jure (etiam seclusâ confessione) illi præstandum erit, si talis factus quod ejusmodi obligationem parit, Oretor sibi conscius foret.

Ad alteram ejus rationem *sc. si vera est* ea doctrina generalis, eo ipso etiam debere intelligi de hac particulari. Nam *universalis* importat prædicatum de singulari in particulari *sub conditione*, quod participent rationem communem subiecti, supra quod cadit prædicatum in propositione universalis: sic in ista: *omnis homo decedens in gratia, salvatur*, prædicatum, *salvatur*, verificatur de quolibet homine in particulari, non absolute, sed ex suppositione quòd decesserit in gratia. At nostro casu, hæc penitentia particulari satisfactionem pro illis excessibus, in specie imposita, participat rationem communem subiecti in hac universali: *penitentia vindicativa, quæ superiunt re prioribus confessionibus, remittuntur lucrato indulgentiam plenariam.* Nam ea confessio menstrua est verè penitentia vindicativa (nimirum in satisfactionem illius enormis libidinis à confessore delegato sacramentaliter imposita) ut præmissum est, ergo.

Et confirmari potest ex ratione, quæ militat pro veritate doctrina generalis, quia supposito, quòd quis lucratus sit indulgentias plenarias, nihil superest, cui per opera poenalia satisfieri debeat; cum vi earum indulgentiarum omnis reus poenæ temporalis, (etiam remissa culpa & poenâ aeternâ per confessionem) periret, sublati sit; at idem est in hoc casu, si talis indulgentiam plenariam lucratus sit: ergo. Unde ad id, quòd dicitur: *in concessione generali non veniunt quæ speciali notâ digna sunt*, respondetur, id transmitti, quoties, suppositâ confessione generali non inferretur alterum satisfactione necessariâ; hic autem, ut ostensum est, illatio doctrina particularis necessaria est, suppositâ veritate propositionis generalis; ergo.

Præmissis illis, quæ, *vi rescriptis, con-* tinent primam partem mandati de Oretore absolvendo tum à sententijs, censuris & poenis Ecclesiasticis; tum ab incellis

& excessibus ejusmodi; ac ante dispensationem à delegato præstanda sunt; sequitur altera pars mandati, de impedienda dispensatione in impedimento matrimonij, & continetur his verbis: *Demum (dummodo impedimentum præfatum sit occultum) & separatio inter Latorem, & præfatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit; a latroque Canonico non obset, cum eodem Latore, & dicta muliere, de nullitate prioris consensu certiorata, sed ita caute, ut Latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo secretè ad vitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere, licitè valeant, misericorditer dispenses; prolem susceptam, si qua sit; & suscipiendam exinde, legitimam decernendo in foro conscientie, & in ipso actu Sacramentalis confessionis tantum, & non aliter, neque alio modo.*

144. Ex his colliguntur, quæ delegato, tum ante, tum etiam in ipso actu dispensandi, vi potestatis sibi commissæ, præstanda sunt, ut rite fungatur munere delegati, nec mandati limites violat per excessum, aut defectum. Cum igitur rescriptum in hac parte commissionis dicat: *Demum, idem velle videtur, ac præmissis jam præstitis, procedat. i. ut, si nondum verificatum esset, quòd impedimentum sit occultum, hoc prius, quam dispensatio detur, coram delegato verificetur; quid autem, & qualiter ratio occulti verificetur; diximus à n. 2341.*

2. Ut verificetur, quòd matrimonium, invalidè contractum, sine scandalo separari non possit, de qua clausula (sine scandalo) jam sæpe diximus. Nam, ut hoc verificetur, satis est, quòd constet verosimili, ac prudenti judicio, ex dissolutione talis matrimonij quoad vinculum, factà declaratione per Ecclesiam de illius nullitate, nascitura gravia mala, inimicitias, infamiam mulieris &c. juxta dicta supr. de quo plura Sanchez cit. d. 34. n. 60. Idem est, de illis verbis: *ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit.* Nam moraliter loquendo, vix ut frater & soror continentes simul vivant ejusmodi conjuges, sine usu conjugij, si simul permittantur non dispensati

postquam ejus usui jam assueverunt; unde delegatus opus non habet alià morà ad experiendum de eo, quòd moraliter vix continget, & prudenter judicabit, seu de incontinentia eorum timere poterit.

3. Verificari debet, quòd aliud impedimentum canonicum non obset; sed de hac clausula diximus supr. & quoniam requiritur, ut alter conjunx de nullitate prioris consensu certioratur, solum arcano delicti alterius, dubitari potest, an hæc certioratio sit de valore dispensationis sic, ut nulla sit, ea prætermittenda; sed hanc clausulam plenè jam exposuimus à num. 2346. & qualiter de novo contrahere uterque debeat, in hoc casu, sublato impedimento, pariter præmissimus; quamvis verba rescripti non dicant, quòd debeant; sed ut de novo contrahere possint ex num. 3413. additur autem secretè. Nam, cum dispensatio valeat pro foro interno tantum, & ob vitanda scandala concedatur; revolidatio non exigitur publica; præsertim, si hoc matrimonium ante contractum fuerit in facie Ecclesiæ, ut ponitur in rescripto juxta dict. supr. & in tali casu non requiri denuò contrahi coram Parocho & testibus constat ex dict. Nam de illo, jam aliunde sic constat in foro externo, etiam Ecclesiastico.

Præter hæc in cit. §. n. 2413. ex rescripto S. Tribunalis duo adhuc sunt, quæ delegatus præstare debet. Primum est, *ut prolem ex illo matrimonio putativo susceptam, ac deinde (facta dispensatione) suscipiendam, decernat legitimam in foro conscientie tantum.* Verba hujus clausulæ, in quantum loquuntur de legitimatione, jam exposuimus in superior: in quantum autem de foro conscientie tantum, à n. 2360.

Alterum est, ut delegatus dispensationis actum exerceat, *in ipso actu confessionis Sacramentalis tantum, & non aliter, nec alio modo.* ubi not. 1. per verba: *in ipso actu confessionis Sacramentalis,* denotari, dispensationem fieri debere, dum durat iudicium Sacramentale poenitentiae, non modò quoad partes essentielles Sacramenti, sed etiam integrales, & quæ accedunt per modum complementi, ut tenent complures, ac inter eos Dicastillo. d. 12. de poenit. num. 195.

Not. 2. per ea verba: *in actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, nec alio modo,* delegato potestate dispensandi cū O-

Eccc xatore

ratore non committi, ut actum dispensationis aliter, aut alio modo exercent, nisi dum durat Sacramentum penitentiae Oratoris ipsi consentis; adeoque si fieret extra Sacramentaliter, fieri actum extra limites commissae potestatis, quoties rescriptum expressè dictam clausulam continet. Nam ut diximus in praemissis. olim haec tam aperta clausula rescriptis S. Penitentiariae non inferebatur.

Et quamvis dixerimus num. 2339. non improbabiliter posse dici, dictam clausulam: in ipso actu Sacramentalis confessionis, intelligendam solum pro casu, quo dispensandus à delegato absolvendus est à praedictis excessibus; non autem, ubi jam ante ab omnibus legitimè absolutus esset; imò ut notat Gobat cit. num. 256. Dicat illo ab ipso consultus super hoc dubio, responderit, posse probabilissimè negari, confessionem esse illi necessariam in hoc casu: quia tamen Sacrum Tribunal tam apertis verbis exigit dispensationem fieri tantum intra forum penitentiale, & non aliter nec alio modo: in praxi omnino tenendum existimo, etiam in dato casu, quo Orator jam alias ab illis excessibus absolutus esset, & non haberet titulo peccati gravis, nunquam confessi, necessitatem confitendi, delegatum pro securitate suae conscientiae, & ipsius etiam actus exercendi, debere ab illo exigere confessionem Sacramentalem, etiam tantum venialium, si ea tantum habet, aut aliquorum similium ex priorum vita.

2417. Not. 3. post §. rescripti, de quo n. 3748. subjungi adhuc mandata quaedam alia; Primum est, ut absolutionem, & dispensationem delegatus sic expediat, quòd hujusmodi absolutio, & dispensatio, Latori in foro judicario, nullatenus suffragentur, quae verba exposui à n. 2368. secundò, quòd commissionem dispensationis debeat exequi; nullis super his reprobis adhibitis; nullis literis datis, seu processibus consecutis (de quibus dictum est à n. 2372.) sed praesentibus laniatis, juxta dicta n. 2373. Tertio, quòd sub pena excommunicationis latae sententiae, dictas literas laniare teneatur, quorum verborum sensum exposuimus à n. 2380. ita ut nullum earum exemplum extet, de quo egimus à n. 2379. neque eas (nimirum literas) Latori restituat, quae exposuimus à loc.

cit. ac tandem, ut si restitueret, nihil ei praesentes literae suffragentur, de quo V. dicta à n. cit. 2374.

Ad calcem rescripti appositum est. Datum Rome apud S. Petrum, sub Sigillo officii S. Penitentiarie, Calendis Augusti, Pontificatus D. Innocentij, P.P.X. anno septimo, quo tempore summus Penitentiaris erat Nicolaus, Titulo S. Mariae Angelorum, S. R. E. Presbyter Cardinalis Ludovicius.

Not. autem hoc rescriptum esse ad casum, quo S. Penitentiarie supplicatū suū pro absolutione ab incestu, ac dispensatione ad revalidandum matrimonium cum affinitate illegitima, sed occultā, in facie Ecclesiae contractum, & successivè consummatum, nulli fide Oratoris, qui prius sororem mulieris, quam subinde in uxorem duxit, carnaliter cognoverat. Ex dicto exemplari hujus rescripti (cujus tenorem supra, retulimus Colliges. 1. quando S. Penitentiarie supplicatur pro dispensatione in impedimento matrimonij pro foro conscientiae, non requirit, quòd exprimantur nomina propria Oratorum, vel Oratoris, aut Oratrici supplicantis; nec opus esse mentione diocesis, aut loci vel originis, vel habitationis, ut patet ex ratione opposita, quia tales delegationes, non necessariò diriguntur ad diocesanum. Colliges. 2. Confessarium, cui dispensandus offert, seu praestat Breve, seu Rescriptum S. Penitentiarie, non debet illud acceptare, vel aperire, nisi sciat se habere qualitates in Confessore, per Latorem ejus rescripti ad hoc exequendum exigendo, requisitas, de quibus actum est. Colliges. 3. priusquam exequatur commissionem, debere omnes rescripti clausulas exactè observare, ac sensum eorum intelligere; ne plus agat, quam sibi commissum sit; vel in praemittendis deficiat, aut dispensandum vel nimium laxet, vel etiam gravet, infra vel supra limites mandati.

Ex hoc colliges. 4. si rescriptum committat dispensationem pro matrimonio contrahendo, non esse locum illi clausulae certioratā muliere de nullitate prioris consensūs, de qua supra; et si ad revalidandum matrimonium prius nulliter contractum non debere illa certioratione uti, nisi certissimè, secundum dicta tum ibidem, tum in superioribus. Colliges. 5. si matrimonium revalidandū data dispensatione jam prius fuerat in facie Ecclesiae contractū.

non esse opus, ut, ubi de novo contrahunt, id fiat coram Parocho. & testibus; sed posse, ac debere fieri *secrète*, ut patet ex verbis rescripti.

1410. Si autem foret contractum nulliter, non tantum ob impedimentum *affinitatis* v. g. *occulum*, sed etiam ex eo, quod contractum fuisset *simpliciter clandestinè*, dubitari potest, an *delegatus nihilominus mandatum exequi possit, dispensando in affinitate, & hoc posito, in facie Ecclesie contrahant legitime?* Videtur eo casu *sisti* potestas delegata ad dispensandum in affinitate v. g. vi. clausula: *dummodo aliud canonicum impedimentum non obstat*, ut constat ex verbis rescripti, sed videtur probabilius, *delegationem non impediri* ex hoc capite, si hoc ipso defectu in supplicatione proposito, nihilominus commissio facta est. 2. quia dicta clausula, dummodo aliud impedimentum canonicum non obstat, rectè intelligitur de illo, quod tolli non possit aliter, quam novà gratià S. Penitentiarie; at defectus presentie Parochi & testium non est tale impedimentum, si dispensati velint hunc defectum supplere.

1411. Nec obstat, quod Tridentinum, tales reddat inhabiles, ad sic (nimirum *simpliciter clandestinè*) *contrahendum*. quia id non intelligitur, ut sint inhabiles ad contrahendum, si contrahere velint in facie Ecclesie; sed tantum ut sint inhabiles *ad sic contrahendum*, hoc est, ad contrahendum validè extra faciem Ecclesie, ut exponit communis. Dixi tamen, *delegationem non impediri ex hoc capite*, quod contraxerint simpliciter clandestinè. Nam et alio capite commissio deficere potest. 1. si de industria sic contraxissent & consummasset ex sine facilius ob hoc obtinendi dispensationem, præsertim si hanc circumstantiam in supplicatione tacuissent; vel etiam quod preces pro tali casu, manifestatà illà quoque nullitate, & copulà nihilominus habità, non reciperentur &c. de quibus jam in præmissis actum est. Illud etiam hic notandum, per illam clausulam, quæ in tergo literatum S. Penitentiarie ponitur, videlicet: *gratis abique*, designari, nec officiales Penitentiarie, nec ipsum commissarium seu Executorem Rescripti, etiam pro labore quidquam, etiam

spontè oblatum, posse admittere. Sed de hoc V. dicta in superioribus.

Demum advertendum, cum à S. Penitentiarie sit commissio dispensandi ad matrimonium contrahendum, vel revalidandum antè nulliter contractum, ex alio impedimento v. g. voto castitatis, vel ingrediendæ Religionis, alias apponi clausulas, ac in isto. Nam ibi præter opera penitentiarie, quæ ob transgressionem voti per illicitè contractum matrimonium imponuntur, adjungi communiter solent etiam alia; in qua materia voti commutatur, ut vel quotidie, vel certis temporibus à dispensato fiant in memoriam voti; seu promissionis Deo factæ, de quo latè Sanchez *cit. l. 8. D. 34. & seq.* Præ omnibus autem bene observanda delegato sunt ea, quæ diximus à n. 2303.

Ad extremum nota, licet communiter dicatur, quod *judex delegatus functus sit suo officio*; & *ejus jurisdictio finita*, ut amplius assumi non possit absquè nova commissione, postquam sententiàm tulit, sive bene, sive malè; nec possit eam revocare, aut iterum judicare; ut docent Dynus in *reg. 25. in 6. Abbas in c. 1. de re judicat. n. 28.* & alij apud Sanchez *l. 8. matr. d. 27. n. 39. arg. c. Si compromissarius, 37. q. Si vero eligat, de elect. in 6.* & habetur expressius in *L. si ut proponis. 14. C. Quomodo, & quando Judex &c.* ubi Legistæ ajunt; si sententià à iudice delegato nulliter lata sit (v. g. die festo, vel contra absentem non contumacem) finitam esse ejus jurisditionem; ideoque causam alterius Judicis cognitioni committi posse: hanc tamen doctrinam à nonnullis meritò limitari, in seq. 1. ut non procedat, si delegati sententià ideo nulla sit, quia formam mandati non observavit. Tunc enim, *velut non usus jurisdictione sua* censetur, uti Abb. hic notat *n. 4. arum. L. quid tamen, 21. ff. de recept. arbitris.* 2. Si Judex delegatus sit ad universitatem causarum: quia is Ordinario æquiparari solet, secundum Gloss. in *c. cum causa 62. ver. delegatus, de appellat.* Ex his deducitur, si delegatus ad dispensandum in causis matrimonialibus, latà sententià deprehenderet, hanc omnino nullam esse, propter defectum formæ non servatæ, posse illum adhuc uti jurisdictione; ad sententiàm ex præscripta formà

Ecce 2

feren-

ferendam; nec ceneri adhuc functum officio suo, juxta limitationem primam.

APPENDIX.

2424. Ad præcedentes hujus libri quæstiones addenda nobis visa sunt *segg. & 1. ad n. 2313*, pro quo not. quamvis verum sit, *c. Significasti. 4. de divort.* licitè repelli à thoro, & cohabitatione uxorem, quæ petit restitutionem mariti, si *notoriè* fornicata est, & maritus continuit, licet alleget illa, *se injustè dimissam esse; nisi constaret ipsum quoque maritum commisisse adulterium*: hanc tamen regulam non restringi sic unicè *ad exceptionem solius adulterij eius*, qui super restitutione convenitur, ut elidi non possit exceptione alià. Constat hoc ex *c. Discretionem 6. de eo, qui cognovit consang. ibi: esse secundum Evangelicam veritatem, nunquam (nisi propter fornicationis causam) aut vir uxorem, aut uxor dimittere possit virum; non tamen semper, propter causam eandem, vel uxor virum, vel vir dimittere potest uxorem; cum possit exceptione, vel replicatione legitimà impediri.*
2425. Ex hoc textu deducitur, adulterium conjugis *non semper* præstare justam causam, adulterium, in judicio petentem sibi restitui consortem (à quo propter adulterium rejectus est) repellendi cum effectu à restitutione, objiciendo adulterium; sed impediri posse legitimà exceptione, vel replicatione contra talem objectionem. Exemplum hujus habetur in *cit. c. Discretionem*, ubi expressè dicitur, mulieri adulteræ non posse objici adulterium à viro, *qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam*; ex hoc enim sequitur, si vir uxorem alteri tradat adulterandam (ad eoque *si ipse sit in causa*, quod mulier adulterium committat, præsertim invitam) non esse locum Capitulo *Significasti*; consequenter divortio, propter mulieris adulterium; & si vir propterea illam rejiceret à thoro, mulieri agenti ad restitutionem, non posse efficaciter opponi adulterium (nimirum ut ei propterea negetur restitutio) sin illa per legitimam replicationem doceat, datam à viro causam, vel occasionem [intellige *proximam*] talis adulterij.
2426. Difficultas est, quando unus conjugum censetur esse *causa adulterij*, ab al-

tero commissi, ut hoc titulo, ex vi capituli *discretionem*, non sit locus capitulo *significasti*, consequenter nec locus divortio propter tale adulterium; & in specie quæri potest, an mulier merito ceneri possit causam, vel occasionem *proximam* adulterij dedisse viro, si ea recessit à viro ex causa, per legitimum Judicem reprobatam, & ad virum redire jussa, continenter renuit, & viro (durante cohabitatione, extra legitimum thorum nunquam lapsa, per 2. 3. vel etiam plures annos debitum negavit, si ex hac occasione (muliere sciente periculum incontinentiæ in viro) ille in fornicationem delapsus sit?

Videtur dicendum, nec in isto mulierem posse ceneri causam, & occasionem *proximam* adulterij, interim à viro commissi; 1. quia (ut habetur in dictor. *Significasti*) licet mulier dixerit, *se injustè à viro abjectam*, & consequenter, adulterio à se sub hoc commissi, virum dedisse materiam, audita non fuit, nec restituta, prævalente adversus eam adulterij notoriæ exceptione, à viro illi coram Judice legitimè oppositâ ex propria mulieris confessione. Deinde, si mulier in dato casu merito censenda foret, causam dedisse viro adulterio, esset ex eo, quod illi negando debitum conjugale causam per hoc dederit; sed nec ex isto capite id dici potest, ut notat Sanchez *l. 10. matr. d. 5. n. 7.* quia hæc causa adulterandi solum est *remota*; & potius occasio; cum eò non tendat, ut femina fornicetur. Quare D. Chrysostr. dicens in cap. *situ abstinet 27. q. 2. tribus alteri fornicandi licentiam*, dicitur *licentiam*, occasionem intellexit, ut explicat ibi Gloss. verb. *Licentiam*. Denique quia urgentior est occasio, quando uxor domo expellitur, alimentisque privatur, tunc enim debito, & cohabitatione, ac alimentis defraudatur; cum tamen, et non obstante, dimitti possit uxor fornicans.

Verùm, his non obstantibus dicendum non esse locum divortio propter adulterium viri, si mulier *injustè* illi negat debitum, *per longum tempus*, v. g. quatuor, quinque menses, vel etiam annum, aut plures, præsertim, si novit eum esse in valde probabili periculo incontinentiæ, propter assuetudinem usûs conjugalis; & hanc sententiam (ut refert Sanchez *cit.*

cit. num. 7.) tenet D. Thomas. 1. Cor. 7. lect. 2. paulo post princ. Angles verb. *debitum num. 7.* Barthol. à Ledef. *dub. 65. de mar. ad fin. 2. alij addunt.* Et dicit esse probabilem Lud. Lopez *num. 4.* allegatus; & favet Guiliel. Borril. 4. d. 35. q. unic. a. 2. *prop. 8.* ubi negat divortium viro, *volenti cum uxore habitare, si ob id ipsa fornicetur:* & forte in hoc casu intelligitur Emman. Sà in *Summa V. Divortium.* vers. *Non potest dimittere,* ubi ait: non posse dimittere, qui dedit adulterandi occasionem. Quod idem repetit verb. *Debitum conjugale,* vers. *à conjugo adultero.*

Ante prob. nota, dupliciter posse aliquem alteri esse causam, vel occasionem alicujus facti, positivam, & negativam; *positivam,* inducendo ad tale factum, suasionem, mandato, consilio, lenocinio, cogendo, collaborando; *negativam,* subtrahendo alteri aliquid, quo subtracto communiter subsequitur tale factum; & quidem si quis alteri subtrahat id, quod *jure* debitum est, cum posset, & teneretur præstare, prævidens, eo subtracto, *regulariter* in talibus circumstantijs subsequi hunc, vel illum effectum, revera censetur illius causa, vel occasio *injusta,* licet solum *negativa;* & quidem *proxima,* si talis effectus, *vel semper, vel sæpe semper in talibus circumstantijs contingat.* Certum autem videtur, conjuges (præsertim ætate, ac corpore vegetos, pluribus jam annis affluos usus conjugij, itante vinculo conjugali, altero, contra voluntatem petentis, debitum negante) difficillimè continere, & regulariter in plura carnis peccata prolabi, nimiam talium hominum imbecillitate, & habitu adurgente; adeoque subtracto injustè conjugali debito, præsertim longo tempore, in periculo eorum proximo constitui; ergo tali casu injustè alteri negans debitum conjugale, præsertim longo tempore, non est causa & occasio tantum *remota,* sed *proxima* talis lapsus, & quidem *injusta,* licet solum *negativa,* quibus positus:

Probatur dicta resolutio: ut vir ab uxore, vel uxor à viro dimitti non possit (vi commissi adulterij) sufficit, quòd unus alteri injustè dederit illius delicti causam, vel occasionem *proximam,* vel positivam, vel negativam; sed in dato casu hoc contingit; ergo: major est *ex c. discretionem* relato n. 2424. & fatetur ipse Sanchez *cit.*

n. 4. ubi ait: *ne locus sit divortio, causà adulterij ab uno conjugum admitti, sufficere;* quòd uxor v. g. *de viri beneplacito committat adulterium;* quia causa, & fundamentum divortij, est injuria alteri illata per adulterium; quòd procedit, saltem in casu, quò est causa, vel occasio *proxima:* quando autem unus conjugum alteri dat causam, vel occasionem proximam patrandi adulterium, abest injuria erga illum, præsertim in casu, quò suppositis circumstantijs, de quibus procedit casus, contingit, adulterium committi ab altero, injustè negato debito per tantum tempus; tenentur enim conjuges ex justitia sibi mutuo reddere debitum, altero legitime petente: minor autem constat ex n. præcedente; ergo.

Quòd autem negare debitum, legitime petenti, in dictis circumstantijs, sit dare causam, seu occasionem, adulterij, probatur auctoritate S. Chrysofomi, *tom. 1. in Psalm. 50. & refertur c. si tu abstines. 27. q. 2. ibi: si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam: & peccatum illius tunc imputabitur abstinentie.* Deinde, qui prævidet, per omissionem actus, alteri debiti ex justitia, istum ex tali defectu, moraliter loquendo, constitui in proximo periculo labendi in aliquod peccatum, imputabiliter censetur causa, vel occasio talis lapsus (sic, si plus, prævidens casurum Dominum, nisi manum præbeat, negando manus præstationem, imputabiliter est causa lapsus Domini, si ei ex justitia tenebatur ad hunc actum, & præstare poterat) hoc ipso autem in tali casu non bene dicitur causa, vel occasio tantum *remota;* qui enim est causa vel occasio *tantum remota,* ei, quò inde sequitur, *non potest imputari;* (aliàs non posset licitè committi officium, ex quo conductus subiret remotam occasionem lapsus) cum ergo D. Chrysofomus aperte dicat: *peccatum imputari ei conjugi, si alter abstinet,* hoc est, *conjugale debitum neget sine alterius voluntate, si hic in fornicationem labatur,* non rectè exponitur *de occasione solum remota;* ergo mulier injustè negando debitum conjugale per tantum tempus (sciens periculum incontinentie in viro) non est causa, & occasio *remota,* sed *proxima,* si vir interim labatur.

Nec obstant, quæ adducuntur n. 2427. 2431. Concedo enim, quòd vi *c. significasti* ad-

huc fuerit locus divortio propter mulieris adulterium, licet allegaverit, se lapsam esse tunc, quando vir eam injustè expulit, consequenter durante illa expulsionè debitum conjugale negavit; sed nego, contra casum, de quo in præfens, exinde aliquid rectè concludi. Nam ex textu dicti c. non probatur concessum viro divortium, propter mulieris adulterium, etiam probatâ viri injustitiâ in conjugali debito injustè negato; textus enim solum commemorat concessum divortium etiam allegatâ viri injustitiâ; id, quod utique non sufficit in casu delicti notorii, sed requiritur, ut allegata etiam sint probata. Deinde dato etiam quòd probasset, se injustè expulsam, consequenter injustè spoliatam usû conjugalis debiti; per hoc tantum nondû fuit injustè constituta in periculo proximo lapsus, quantum colligi potest ex allegatis in textu; primò, quia vir de ipsius mulieris incestu communitus eam ejecit, dum compertam haberet certitudinem facti; 2. mulier stante integro conjugio, etiam quoad cohabitationem, incurrit probabilem suspicionem violatæ conjugalis fidei; 3. non fuit relicta injustè extra thorum tot annis, ut in casu nostro: ergo casus c. Significasti est diversus ab eo, de quo in præfenti.

2432. Nec juvat, quod dicitur ex Gloss. in dict. c. significasti v. materiam & v. compulsam in c. ex literis, dicente, virum non cogi adulteram recipere, non obstante allegatâ per ipsam exceptione, quòd vir in causa fuerit ipsam injustè expellendo, aut alimenta necessaria denegando, ratione reddita, quia mulier, nullâ ad fornicandum adduci debet ratione, per c. ita ne 32. q. 5. non enim est ignoscendum turpiter viventi prætextu paupertatis L. Palam ff. de ritu nupt. hæc enim omnia vera sunt, quando tale unius conjugis factum non est alteri causa, vel occasio proxima lapsus, etiam negativa, constituto in certo, & proximo periculo incontinentiæ, per tantum tempus injustè negando debitum conjugale, de quibus circumstantijs nihil proponitur in c. significasti. Quamvis enim nec in isto casu peccans excusetur à culpa, contra Deum, & conscientiam; excusatur tamen ab injuria contra talem conjugem, & penâ propter ejusmodi injuriam statutâ.

2433. Id, quod tradit sapientissimus Sanchez

cit. n. 6. dicens, textus in c. ita ne & L. Palam non procedere, quoad penam divortii ex adulterio, si unus conjugum eâ intentione alterum repulisset, quò is necesse est urgente adulterium perpetraret; nec omnino dicitur; sed non usque ad hoc restringitur, ut tunc solum non liceat divortium; nam præter hoc etiam sufficit delictum, se causam vel occasionem proximam, in quâ illi, saltem indirectè, voluntarium sit alterius adulterium; quia sic reuera illi meritò imputari potest (consequenter, ut censetur in causa, vel occasione proxima injustè datâ) voluntarium alterius adulterium, quo definit illi esse injuriosum quoad penam, cateroquin ob ejusmodi injuriam, jure concessam; qualiter in multis alijs negatur alicui juris beneficium, ut ejus appellatio ab illato per sententiam gravamine recipiatur; si ille voluntarius, vel culpâ suâ illius causa fuit, ut diximus L. 2. tit. 18. de appellat. Et hæc sententiam novissimè tenet P. Joannes Taberna in Synopsi Theol. practicæ p. 3. tr. 7. c. 1. q. 4. ubi ait: adulterium non sufficit ad divortium, si maritus in uxoris adulterium, saltem implicite consentiat, & danda proximam causam.

Hinc ad alteram contrariæ partitionem in n. 2427. Be. nos non loqui de causa, vel occasione remota; uni conjugum ad scelus fornicationis per alterum datam, sed de proxima, quæ, ut dictum est, ostendit consensum saltem implicitum, eum oblitum in alterius lapsum, quod contingit, vel positivè, vel negativè, præsertim in iustis, cœdificiando alterum in periculum proximum incontinentiæ, ex quo istius lapsus illi merito imputetur. Et ideo negandum est D. Chryostomû loqui de occasione, solum remota; cum dicat: abstinenti sine alterius voluntate, hujus peccatum imputari, quod non arguit meram occasionem, tantum remotam, nec occasionem circumstantiam, prout volunt contrarij; sed licentiam, sumptam pro consensu implicito, seu voluntario, quo posito cesset injuria, in quâ innocenti fundatur jus divertendi à Reo in penam injuriæ contra conjugalem fidem; nec obstat dictum D. Chryostomi non habere vim legis; est tamen magnæ auctoritatis, præsertim in dubio, quando conjugum censetur (negando debitum) in lapsum alterius exinde secutum, saltem implicite consentire?

435. Ad n. 1974. si quartas, an in dubio (de existente impedimento dirimente inter duos) licite, non pramissa dispensatione ad cautelam, ab illis celebretur matrimonium? R. duplicem esse sententiam; prima est (quam tenet Castropalpus p. 1. de conscient. dub. p. 8. n. 10. & alij) absolute negans; ratio est. 1. quia cum tali dubio contrahens, exponitur periculo nullitatis matrimonij; secundò, quod ante exortum dubium sit certum præceptum non contrahendi cum impedimento dirimente, ideoque possessio videatur pro illo stare, ex qua possessione exturbari non potest per subiciens dubium: Secunda affirmat, quam sequitur Thomas. Sanchez l. 8. matr. D. 6. n. 18. quia in hoc dubio stat possessio pro libertate ad contrahendum; ita etiam Joannes Sanchez in suis Selectis D. 13. n. 44. eadem utens ratione, quæ sic explicari potest: Petrus, ante exortum dubium habet libertatem, capacitatem, & jus certum, legitime contrahendi; ergo per exortum dubium non potest extrahi ex hac possessione.

436. Ante resolutionem not. quæstionem posse procedere de casu, quo dubium sumitur, vel solum pro incerto, vel proprie pro suspensione intellectus in neutram contradictionis partem, sed pendentis? 2. Legem, quæ aliquid petit, vel negat, non absolute, sed solum ex suppositione alicuius facti; non constituit in certa possessione contra subditum, nisi suppositio certa sit; quamdiu enim suppositio incerta est; incerta quoque est obligatio legis; hinc voluntas, quæ antecedenter ad omnem cogitationem, quæ moveret aliquem scrupulum de existentia legis, licite poterat exercere hunc, vel illum actum (v. g. inire matrimonium) constituitur in certa possessione libertatis, impeccanter faciendi talem actum, etiam superveniente cogitatione de lege, irritante matrimonium ex suppositione impedimenti dirimentis, ubi suppositio dubia est, sumpto dubio pro suspensione intellectus, in neutram partem iudicio suo procedentis, si prius, quam operetur ex reflexione ad certam possessionem suæ libertatis, deponat dubium per assensum eo principio sultum, sibi hic & nunc licere; nam per tale dubium superveniens non evertitur certa possessio immunitatis ab obligatione, quæ

possessione contra libertatem suæ voluntatis non habet, nisi ex suppositione, de cuius existentia, vel purificatione, operanti nihil constat; & ita tenet P. Mathæus de Moya in qq. Selectis Theol. moral. tr. 1. q. 5. n. 16. & apud illum Suarez tom. 5. in 3. p. D. Thomæ D. 40. f. 15. Sanchez l. 2. de matr. D. 41. n. 36. Sæ V. dubium n. 2. Regulam porro, quod in dubio sit melior conditio possidentis, non tantum in foro fori, & iustitiæ, sed etiam foro poli, & conscientia: in alijs quoque causis, & materijs, locum habere, docet Moya cit. n. 18. cum pluribus alijs, ut alibi tradidimus; & ideo eam sententiam, quæ dicit, licite contrahi matrimonium, etiam sine dispensatione, in casu, quo omnino dubium, an interveniat impedimentum, nec ne, ut probabilior tenet P. Paulus Rosmer, de actibus humanis, & conscientia dubia, p. 227. & R. hanc sententiam; sed hoc ita intellige, ut procedat post debitam inquisitionem veritatis, & depositam ritè dubitationem.

Ad rationes in contrarium, & quidem. 2437.

1. in n. 2435. R. in dato casu non exponi sacramentum probabili periculo nullitatis; cum pro existentia legis irritantis, hoc casu, nullum ponatur grave fundamentum contra libertatem, certâ possessione ab immunitate obligationis tunc non contrahendi munitam; secus, pro ipsa libertate: ad 2. R. 1. cum P. Rosmer cit. præceptum quidem esse certum, ut nullus cum notitia certa impedimenti, aut dubio practico illius contrahat matrimonium, sicut est certum præceptum restituendi alienum, quando nimirum constat rem esse alienam; non verò, quando est tantum dubium, an sit aliena? quod adhibita diligentia vinci non potest, & ante dubium fuit ejusdem bonæ fidei possessio.

R. 2. cum Sanchez loc. cit. quando 2438. præsumptio stat pro impedimento, non licere contrahere matrimonium. Hinc qui pecavit cum sorore Bertæ, & dubitat, an feminaverit intra vel extra vas? non potest contrahere cum Berta: quia præsumptio præponderat pro impedimento ex communiter accidentibus, nempe seminationem factam esse intra vas, quando coitus cum femina est intra vas; quod si verò non esset talis præsumptio, posset licite,

licitè, & validè contrahere; quia nullum adesset impedimentum, & possessio staret pro libertate.

2439. R. 3. quòd nulla propositio universalis, quantumvis etiam metaphysicè certa, certo, & absolutè verificetur de singularibus sub ipsa contentis, nisi etiam certo, & absolutè illis conveniat ratio subiecti, sub quâ de illo dicitur prædicatum ejusmodi propositionis; ut docui in tractatu Theol. de Fide, ad illam quæstionem, an propter solam revelationem universalem (tanquam motivum adequatum) quâ universaliter revelatum est (v.g. omnem decedentem in gratia, salvum esse) possit absolutè credi de divinâ, de singularibus? v.g. de Petro (cum salvum esse) modo sit moraliter certum, Petrum decessisse in gratia? respondi enim negativè; quia crederetur absolutè, quod Deus non dixit, seu revelavit absolutè. Nam hæc propositio (omnis homo decedens in gratia, salvatur) non verificatur de Petro, nisi ex suppositione, quòd Petrus sit homo, qui decessit in gratia; unde licet moraliter certum sit, Petrum decessisse in gratia, principium tamen illud universale (certum ex Dei testimonio) non applicatur subiecto, seu Petro, certitudine ex Dei testimonio; hinc ex vi ejus principij universalis, sequi non potest assensus nisi moraliter certus; sicut ex his (omnis homo currens, movetur; Petrus est currens: igitur movetur) non sequitur assensus physicè certus, si Petrum currere sit certum tantum moraliter. Aliud est, si suppositio, sub quâ universalis dicitur de singularibus, assumeretur à Deo in signum sui testimonij de Petro in gratia defuncto: ergo idem dicendum venit in casu nostro; nam hæc universalis: affectus impedimento dirimente non potest inire matrimonium sine dispensatione, non cadit in singularia (Petrus v.g.) nisi ex suppositione, quòd sit affectus impedimento dirimente; non igitur potest absolutè verum esse (Petrus non potest inire matrimonium sine dispensatione) nisi absolutè vera sit suppositio, quòd Petrus sit affectus impedimento dirimente; hoc autem in dato casu non est; ergo vi ejus indefinitæ, seu universalis, de quâ loquitur præceptum, non evincitur, prohiberi, ne Petrus in dato casu licitè ineat matrimonium sine dispensatione, quamdiu pendet suppositio, nullâ illi

suffragante vi, elidente possessionem libertatis antecedentem; & probante suppositionem verificari de Petro, hinc.

R. In forma ad dict. arg. dist. antecedente exortum dubium, præceptum non contrahendi cum impedimento dirimente, est certum ex suppositione, quòd in volente contrahere sit tale impedimentum; C. est certum absolutè, N. anteced. per hoc autem, quòd certum sit, neminem posse contrahere cum impedimento dirimente solum ex suppositione, quòd, volens contrahere, sit affectus ejusmodi impedimento, præceptum non est, sed tantum esset in possessione contra libertatem volentis contrahere, si suppositio vera foret. Sic, quando apud Theologos quaeritur, an sit per se notum quoad nos, Deum existere? intelligendo per Deum formaliter ens essentialiter existens; necquæ aded, an hæc propositio (ens essentialiter existens, existit) sit per se nota quoad nos, responderetur communiter negativè; quia, licet quoad nos (ens essentialiter existens existere) per se notum sit ex suppositione, quòd per se, & quoad nos nota sit complexio terminorum ex parte subiecti, nimirum alicui entis convenire rationem, essentialiter existentis, si tamen hæc talis non sit, nec illa propositio talis est; aliis posset judicium esse firmius suis principijs proximis, & adequatis.

Ad n. 1484. observandum, accusari quem posse de fornicatione, vel adultèrio. 1. vel criminaliter, nimirum ad poenam legalem, seu vindictam publicam criminis. 2. civiliter, ad divortium institutum quoad thorum, & cohabitationem, aut dotis privationem. 3. vel per denuntiationem charitativam, tantum ad amovendum peccatum; vel canonicam, ad impediendam electionem, seu promotionem beneficiarij, vel promotum amovendum; item ad matrimonium impedendum, ne contrahatur, aut contractum dissolvendum, propter impedimentum aenitatis ex fornicariâ copulâ contractæ antenuptias, ut in casu c. in literis 24. h. 1. et secundum varietatem causæ, majorem, vel minorem probationem exigi. Hinc, si agatur denunciative duntaxat ad impediendam poenitentiam salutarem, vel ne aliquis promoveatur, qui nullam jus at-

quisitum habet, vel impediendum matrimonium, ne sacrilegè contrahatur, sufficit semiplena probatio, videlicet unus testis, aut sola fama, dummodo verisimilibus indicijs, & non levi origine ortis, cognoscatur; de quo videri potest Mascardus *concl.* 59. n. 10. si autem agatur contra adulterum, vel adulteram ad divortium instituendum, vel dotis amissionem, requiritur probatio major, & qua plena ac indubitata censerì possit: si demum accusetur matrimonium contractum, ut dissolvatur, propter impedimentum dirimens, tunc majores adhuc, & clariiores probationes requiruntur juxta *cir. c. Super*: idemque dicendum, si agatur criminaliter ad poenam legalem, sive per viam accusationis, sive per viam inquisitionis; cum enim tales causae valde arduae, ac praedjudiciales sunt, certissimae, & luce meridiana clariiores probationes requiruntur, uti docent DD. in *L. ult. C. de probat.*

2442. Difficultas autem est de probatione adulterij; cum enim crimen fornicationis, vel adulterij fiat *occulte*, difficilis probationis est; hinc quaesitum fuit à Coelestino III. an: *si quis alterum de tali crimine accuset, debeat adducere testes de visu? an sufficiat solum famam viciniae allegare, & probare? aut quod testes producti jurari affirment, se confisos esse commissi delicti, tamen si de visu nihil dicant?* ad haec respondit Papa: *si testes jurati deponant de visu, & fama consentiens praesumptionem violentam faciat, atque alia legitima adminicula susfragentur, tunc standum esse testium depositionibus de crimine illo.* Etenim circumspiciet & discretus Judex motum animi sui et argumentis, ac testimonijs, quae rei aptiora sunt, confirmare debet. Consentit *lex 3. §. ideoque, in fin. hoc tit.* Et ex textu deducitur, quod in occulto fornicationis crimine, plerumque testis adhiheri non potest *de scientia*; unde Judex praeter unius vel plurium testium depositiones, ex alijs adminiculis se informare debet; hinc maritus (in foro conscientiae) si conjugis suae adulterium indicijs moraliter certis, adeoque praesumptione violenta cognitum habeat, licet in foro externo probare non possit, tamen, *per se loquendo*, & debitum conjugij negare, & praetextu militiae v.g. à muliere discedere potest, ac divortium instituere; sic Layman *l. 5. Theol. moral. 11. 10. p. 3. c. 7. n. 8.* si tamen in Ecclesiae judicio se

Tom. IV.

posse probare diffidat uxoris fornicatione, v.g. cum fratre viri commissam ante nuptias, non licebit ei etiam in remotissima regione alias nuptias inire (juxta Layman in *c. praterea, 27. de testib. & attest. in 6.*) nisi certam, & indubitam cognitionem habeat impedimenti; quo tamen casu, consideratio habenda est eorum, quae diximus *loc. cit.* saltem si periculum esset scandali.

Ad n. 996. in ordine ad quaestionem 2443. (*qualiter incurrat impedimentum criminis ex adulterio, conjuncto cum machinatione mortis in alterum conjugum, etiamsi non intervenerit promissio matrimonij vel de futuro, vel de praesenti*) notandum in casu, quo v.g. mulier fidelis adulterium commisit cum infideli, & hic postea occidit maritum ejus, dubitari posse, an *fidelis ex hoc incurrat impedimentum*, ut cum eo infideli, etiam converso ad veram fidem, nunquam valide possit inire matrimonium, *si ipsa nihil fecerit ante commissum sui mariti eadem, sed solum deinde*, ubi vel ex ipso infideli, vel alijs, factum comperit, ratum habuit: *re. quod non.* Nam sola rati habitio occisionis conjugis factae una cum adulterio, ad inducendum hoc impedimentum minimè sufficit, ut docet Sanchez *l. 7. marr. d. 78. n. 6.* nam ut adulter, vel adultera (seclusa promissione matrimonij) impedimentum criminis incurrat, requiritur, quod sit fidelis, & machinetur in mortem sui, vel alterius conjugis; sed sola rati habitio caedis jam factae ab infideli, etsi fidelis mulier postea ratam habeat, non potest facere, quod ipsa machinata sit in eam eadem; cum ponatur omnino ighara intentionis, quam habuit adulter infidelis, qui ejus maritum occidit; unde licet in *c. cum quis, de sent. excom. in 6.* dicatur, quod *rati habitio retrahatur, & mandato aequiparetur etiam in delictis, & ad poenam excommunicationis incurramdam*; hoc tamen non procedit in casu praesenti.

Nam ea regula fallit in multis, ut late 2444. tradit Peckius *reg. 10. de reg. juris, à n. 16.* hinc expressè notat, eam non habere locum in casu, quo lex requirit praevium *tractatum, vel machinationem ad delictum*, ut exigitur *c. 1. de convers. infid.* nec etiam quando tempore, quo unus ratum habuit, deficitabilitas extremi à quo, ut ostendit subnexo casu: *si enim*, inquit, *Ego, & tu sumus Domini ejusdem fundi, & ego impono, vel ac-*

Ffff

quiro

quiro illi servitutem, tu vero eandem servitutem imponis vel acquiris post mensem, confirmando, & ratum habendo, quod ego feci: licet ista impositiones vel acquisitiones factae sint inspecta veritate diversis temporibus: finguntur tamen eodem tempore (si modo omnia sint integra) esse facta: Sed si antequam tu imponas, vel acquiras, mutatum est dominium ex parte mea (quia ego desij dominus esse, vel quia mortuus sum, vel quia vendidi) tunc rati habitio tua nihil efficit; quia res non est integra, & eo tempore, quo tu ratum habuisti, deficiebat habitio extremi a quo, quod ego tunc verè imponere vel acquirere potuissim. Et ideo etiam Sanchez cit. negat rati habitioem, jurisdictione, posse in hoc casu retrahi, ut mandato equiparetur; quia, ut fidei loci sit, exigitur, duo extrema esse habilia ad illum actum exercendum; nam si quis nomine infantis hominem occidit, licet infans, major factus, ratam occisionem habeat, nequit rati habitio illa retrahi; quia infans nequibat tunc mandare. Similiter si concessio termino ad aliquid agendum, amicus nomine alterius fecit, transacto termino non proderit rati habitio alterius; quia post terminum non poterat verè efficere, ac proinde nec fictè, *L. Bonorum ff. rem ratam hab.* Ad rem ergo, petunt textus ad hoc impedimentum, *machinationem* ad conjugii necem inferendam: & cum ea tunc intervenire nequeat, rati habitio illa non potest retrahi.

2445. Ad n. 1505. ubi egimus de iudice competente in causis matrimonialibus, nota, de hoc ita statui in CC. Trid. sess. 24. de Reform. c. 20. in medio, ibi: *ad haec, cause matrimoniales, & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini, & jurisdictioni relinquuntur, etiam si in presenti inter Episcopum, & Decanum, seu Archidiaconum, aut alios inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacunque instantia pendeat: coram quo, si pars verè paupertatem probaverit, non cogatur, extra provinciam nec in secunda, nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare, nisi pars altera & alimenta, & expensas litis velit subministrare. Legati quoque etiam de latere, Nuntii, Gubernatores Ecclesia-*

stici, aut alij, quarumcunque facultatum vigore, non solum Episcopus in praedictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem vs. praeferre, aut turbare non presumant; sed nec etiam contra Clericos, aliasve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente, procedant; alias eorum processus, ordinationesve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus illantur: circa quem textum nota, per hoc decretum non esse sublatam consuetudinem immemoriam, qua Praelatos inferior causas matrimoniales cognoscere potuit, ut docet gloss. in c. Literas de restit. spoliat. & in c. 1. de consang. & affinit. nec per verba (sed Episcopi tantum tibi & jurisdictioni relinquuntur) excludi Praelatos exemptos, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, sed comprehendit; sic Aloys. Riccius in praxi p. 4. res. sol. 271. quod etiam procedit de Abbatibus habentibus in suos subditos omnem jurisdictionem; sic Barbosa in dict. c. 20. CC. n. 55. & Vicarij Episcoporum generalibus; cum habeant generale commisionem cognoscendi causas matrimoniales per c. 1. de frigidis, & c. fin. de cognat. spiritali, ut tradit Sanchez l. 3. d. 29. a n. 18. Azor p. 2. l. 3. c. 45. & alij: excluduntur tamen Archidiaconi, Decani per expressum in ipso textu.

Ad n. 1496. not. non tantum ad impedendum, sed etiam dirimendum matrimonium sufficere *presumptam probationem* consanguinitatis, etiam si oriunda sit ex adulterio, vel damnato coitu, ut colligitur ex c. per Tuas 10. de probat. ubi matrimonium Raphaelis cum Sophia diffinitum fuit, postquam solum praesumptum probatum est, Raphaelem esse susceptum ex fratre matris Sophiae; ubi tamen notandum hic (cum agatur de periculo peccati, ne continetur matrimonium, si sit irritum) admitti ejusmodi probationem; quantumvis parentes variaverint, ut liquet ex casu; unde in Ordine ad alios fines (v. g. capiendam hereditatem, cum obicitur defectus natalium) forsasse non sufficere talis probatio.

Ad n. 2283. not. eum, qui crimen, vel impedimentum matrimonij iudici denuntiat, posse deinde adhiberi, ut testem, sicut colligitur etiam ex c. In omni 4. de Test. Debe-

Debet tamen id intelligi, si iudex ex officio per inquisitionem procedat; non item, si denunciator litem prosecui velit; cum non possit idem esse accusator, aut litis promotor, & testis, sicuti pluribus allegatis bene notavit Decius in *c. Juravit*, 6. de probat. ex quo etiam deducitur, postquam in causa matrimoniali depositiones testium pro impedimento, inter aliquos existentes, publicatae sunt, non admitti novum testem, qui deponat de negativa, seu non existente impedimento. Cum enim quidam jurasset, se Cajam ducturum in uxorem, & vellet eam ducere, seu verbis de presenti contrahere, quidam autem opposuissent se, iuramentis secundum morem editis, quod illi in quinto consanguinitatis gradu conjuncti essent, & horum testimonium juratis depositionibus publicatis, alius testis accessisset, qui probare voluit, nullo illos consanguinitatis gradu junctos esse; dubitaverat iudex, utrum iste audiri deberet? ad hoc respondit Clemens III. *standum esse probatione testium prioris*. In hac tamen materia quaedam limitationes à nobis tradite sunt *l. 2. tit. 19. de probat.*

448. Ad n. 1493. not. quod iudex non debeat permittere matrimonium filij cum consanguineis Patris, *si presumptiones adhibeantur pro filiatione*; colligitur ex *c. per tuas* 10. de probat. quia probationes, *certe generationis ex Patre* raro haberi possunt, *l. Lucius* 83. ff. de conditionibus; sed plerumque per conjecturas probari potest. *l. Titium* 6. ff. de his qui sunt. Hinc, cum Titius vellet ducere Cajam, & opponeretur consanguinitas ex eo, quod avus sponsi, & Pater sponsae, communiter sint habitati, *tanquam veri fratres*, pro confirmatione hujus, ulteriori depositione additis circumstantijs, quod educati sint etiam in eadem domo, apud eosdem conjuges, ejusdem cognominis non tantum avus sponsi, & Pater sponsae, sed etiam ipse sponsus, & sponsa, ex praesumptione merito pronuntiatum fuit pro negativa; cum inito inter eos matrimonio, stante consanguinitate, merito praesumpta, vertetur periculum animae, si degerent in matrimonio jure nullo.

449. Ad n. 1514. Not. in causa matrimoniali, in qua de ipsius valore agitur, tractari debere *Summarie*; si autem de adulterio, sive civiliter, sive criminaliter, opus esse

processu Ordinario; ratio. 1. partis est ex Clem. *Dispensiosam* 2. de Judic. ibi: *statuimus, ut in causis super electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut super dignitatibus, personatibus, Officijs, Canonicatibus, vel praebendis, seu quibusvis beneficijs Ecclesiasticis, aut super decimis, ad quarum etiam praestationem possunt, qui tenentur ad eas, praemoniti censura Ecclesiastica coërceri, ne non super matrimonijs vel usuris, & eas quoquo modo tangentibus, ventilandis, processibus valeat, de cetero simpliciter, & de plano, ac sine strepitu iudicij & figura*; volentes non solum ad futura negotia, sed ad praesentia, & adhuc etiam per appellationem pendencia hoc extendi id, quod etiam dicendum de causa sponsalium; quia sponsalia referuntur ad matrimonium, & ideo etiam favorabilia censentur, uti docet gl. in cit. Clem. verb. *matrimonij*. ibid. Zabarella *q. 26. ratio 2. partis est*; quia sive criminaliter ad publicam poenam, sive civiliter tantum ad thori separationem agatur de adulterio, agitur de gravi praesudicio partis accusatae, imò ipsius quoque matrimonij, cujus individua societas dissolvi petitur. Ex quo apparet, quanto favorabilior est causa matrimonij, si agatur de ejus valore; tanto odiosior esse; si supposito valore agatur de dissolutione quo ad forum.

Confirmari potest ex *c. ad hoc* 1. ut lite non contestata, ubi sequens casus proponitur: Berta contra Rudolphum maritum, coram delegatis Papae, litem movit in causa adulterij, *processu tantum civili* (nimirum ad separationem thori, & receptionem dotis à marito adultero) sed procurator oblato libello noluit respondere, donec advocatus adveniret, ideoque inducias postulavit; & cum, eas frequenter postulando, iudicibus illuderet, litemque tantum protrahere videretur, denique comparuit, ac dixit, se respondurum ad libellum; die autem constituta cum responsurus putaretur, petiit, ut prius restitutio fieret uxoris, quam ulterius procederetur, alioquin se ad Papam appellare.

Cum autem mulier contradiceret, se virum ob ejus scitiam suspectum habere; & procurator super hoc cavendo, mulierem securam reddere nollet, atque à iudicibus

cibus discessisset, ipsi à muliere testes receperunt, quibus cognitis, respondit Innocentius III. *tamei si in causis matrimonialibus, quibus de valore matrimonij agitur, Ordo iudicialis non exactè observandus sit; aliud tamen dicendum, si agatur de adulterij crimine ad separationem thori, &c.* quamobrem in causa, tamen si ex parte mariti appellatum non fuisset, non potuisse lite non contestatâ Iudices ad testium receptionem procedere; potuisse verò maritum, si contumax comparuit, aut etiam ob procuratoris contumaciam, si eam sciens non purgavit, excommunicationis sententiæ subijcere.

2451. Ex hac Pontificia resolutione confirmata manet utraque pars nostræ resolutionis in n. 449. Deinde, deducitur ulterius, quando queritur, *an in causa matrimoniali Procuratori, qui stat pro Reo, concedende sint induciæ, dum advocatus adveniat?* Censeri ab aliquibus, relinquendum Iudicis arbitrio, ut vult Abbas in dict. c. ad hoc n. 10. ex hoc textu tamen colligi, negandas, si, frequenter postulando, Iudicibus illudere, & tantum litem protrahere videretur; igitur, non, si ex iusta causa postulare.

2452. Deducitur. 2. in quæstione, *an quando agitur de separatione thori ob adulterium, vel receptionem dotis, contra Reum contumacem testes recipi, & sententiæ definitiva ferri possit, ante litis contestationem;* responderi negativè ex dict. c. ad hoc, ibi: quia tamen in presenti negotio non est actum de scedere matrimonij; sed de crimine adulterij (per quod ad separationem conjugij, non ad conjunctionem tenditur) quia lite non contestatâ, testes fuerunt recepti, & attestations etiam publicatæ, sive deferendum sive non deferendum appellationi fuisset, non est ad definitivam sententiæ procedendum.

2453. Si queratur, an citra culpam conscientiam, non obstante, impedimento solum impediens, quis inire possit matrimonium ad id coactus metu gravi, ac injusto directè incusso ad eum finem? respondet Sanchez l. 7. de matr. d. 5. n. 3. solum inire matrimonium, si vero animo incatur, *nullo esse culpam*, si impedimentum sit solum impediens, etiam jure naturali (quale est votum simplex, vel sponsalia) & me-

tus non incutitur in odium fidei, vel religionis; rationem dans, quod si culpabiliter, nasci deberet ex violatione illius duplicis vinculi voti, vel sponsalium, quorum tamen neutrum cum tanto discrimine obligat, ut constat de omnibus alijs votis, & promissionibus, quæ rebus notabilissime mutatis, minimè, juxta omnium sententiam, obligant, ut tradit l. i. d. 62. n. 3. sic, ut nec votum ingrediendi religionem obliget cum notabili vitæ periculo, ut habet cit. d. 5. n. 3. ubi etiam addit, matrimonium, *sic contractum* coram Parocho & testibus, *absque culpa posse consummari*, & accedat vero affectu maritali, & animo perficiendi matrimonium, quod intelligitur, juxta probabilem aliorum sententiam, qui tenent matrimonium ex metu gravi quantumvis injusto & directè ad eum finem incusso esse ipso jure validum, sed solum ad instantiam metum passi rescindendum, cujus tamen oppositum probabilius esse diximus supra à n. 407.

Ad n. 668. Not. quæstionem esse, capessant Catholicos degentes inter hæreticos, si iussu Magistratus hæretici contrahant matrimonia assistente Ministro hæretico; & valeant ejusmodi matrimonia. Ad. 1. respondet affirmativè Lessus apud Gobat in Theol. experim. tr. 9. n. 477. si adhibeant ejusmodi Ministrum tanquam personam Sacram, seu tanquam Ministrum Ecclesie, quod fit, adhibendo talem hominem ad actionem quandam religiosam, cujusmodi est benedictio nuptiarum, dicendas Ecclesie preces super conjuges, &c. quia sic esset quedam externa protestatio, seu professio doctrinæ hæreticæ; quod verum esse vult, licet simul habeant animum deinde contrahendi coram legitimo Sacerdote; non autem si talem Ministrum adhibent ob causam solum politicam.

In hac quæstione supponendum, non procedere de casu loci, ubi vi Tridentinæ legitime publicati obligantur contrahentes ad servandam ejus formam; quo pacto, si sponsi Catholici, metu periculi cogentur contrahere coram Ministro hæretico in contemptum Religionis Catholice obsequentes mandato Magistratus hæretici utique peccarent, si coram eo Ministro contraherent; quia etiam simulatæ quæ tendit in contemptum veræ Ecclesie illius.

illicita est; secus, si adhiberetur solum ex usu talis loci tanquam caeremonia politica. De valore autem talis matrimonij resolutio pendet ex quaestione, num Catholicus contrahens sine forma Tridentini, ubi hoc receptum est, valide contrahat: de qua cum distinctione respondimus n. 646.

447. Ad n. 1011. not. quod quamvis Gobat non teneat sententiam eorum, qui docent, impedimentum penale, quo dirimitur matrimonium contrahendum, aut eo stante contractum, non incurri ab ignorante talem penam annexam esse suo actui pravo, quem exerceat; nihilominus in *Theol. experiment. tr. 9. n. 202.* in fine sic concludat: quia tamen nec Diana, nec Baucius (referentes eam doctrinam, quae negat incurri) ullà profus notà afficiunt sententiam Paludani, etsi requirentis scientiam utriusque adulteri, & insuper Doctores (quos nominavi *cas. 1. n. 67.*) indefinite ajunt, aliquos negare incursum inhabilitatis, respectu ignorantium, & tamen ne quidem improbabilitatis censurà afficiunt hanc negationem, idcirco non vererentur quandoque illos, qui bonà fide contraxerunt constructi impedimento criminis, relinquere in bona fide.

447. Ad n. 996. not. in quaestione, an, ut inducatur impedimentum dirimens matrimonium inter duos, propter eadem conjugis factam ab uno ex ipsis, requiratur, eadem esse factam ex intentione ineundi matrimonium cum superstite plures negare apud Sanchez l. 7. *matr. d. 78. n. 13.* qui tamen verius existimat, requiri, quod illa conjugis interfectio vestiat sine ineundi alterius matrimonij, sic, ut si alius finis adfit, non sit impedimentum dirimens; pro quo refert etiam D. Thomam 4. *dist. 37. q. 3. a. 2. in corp.* & complures alios; rationem dat; quia, etsi non reperiat expresse in textu, colligitur tamen ex ejus verbis, c. *Si quis vivente*; 31. q. 1. ibi: *occidisse notetur.* Verbum enim *notetur*, denotat malitiosam procurationem mortis conjugis, ac nota infamiæque dignam, qualis est, quando eo dirigitur, ut matrimonium cum adulterante incatur. Deinde, quia id satis clarè probat finis, propter quem inductum est hoc impedimentum; finis enim fuit, ne conjunx conjugem suum vità exueret, ut soluto conjugis matrimonio, cum alio, quem amat,

matrimonium ineat; at huic rationi locus non est, si ex alio fine conjunx occidatur; ergo.

Ex hoc deducitur, ad incurrendum impedimentum criminis ex unius machinatione in mortem conjugis, ut cum adultera superstite ineat deinde matrimonio, non requiri, eadem fieri aut esse factam ex utriusque intentione ineundi matrimonium cum adultera; nam ad incurrendum hoc impedimentum sufficit, quod adfit adulterium uno machinante in mortem alterius, si hoc fiat ex fine matrimonij cum adultera; hoc autem in praesenti habetur, quin concurrat intentio utriusque; ergo. Minor per se constat; major autem est ex n. priori. dixi *ex fine ineundi matrimonium cum adultera*, seu cum superstite conjugis: nam, si fiat ex fine ineundi aliud matrimonium, non determinando personam (ut si vir occidat uxorem, ut ab ea liber possit aliud matrimonium inire, quin tunc feratur in personam certam, vel expresse in hanc, aut illam) probabilius est, non incurri hoc impedimentum ex tali conjugicidio etiam relatè ad illas facinas, cum quibus antè commisit adulterium. Nam ut inducatur hoc impedimentum, ubi solum unus machinatur in mortem alterius, requiritur adulterium, & machinatio in mortem alterius animo ineundi matrimonium cum ea; sed dicto casu talis animus non adest; ergo; ita Sanchez *cit. n. 18.* & cum eo Veracruz, Vega, & alij; quamvis in foro externo adfuisse talis animus praesumatur. Ut igitur sequatur, seu contrahatur impedimentum criminis, quo dirimitur matrimonium contrahendum, aut eo stante contractum inter conjugidam, & superstitem, sequentes condiciones requiruntur. 1. ut adfit machinatio mortis alterius conjugis, sive ab alterutro conjugis, sive ab adultero facta, effectu secuto, ipsa nimirum morte non autem merà ratihabitione secuta ex *num. 2444.* 2. ut ea machinatio fiat animo ineundi matrimonium inter conjugem superstitem, & adulterum, vel eum, qui simul machinatus est; ex *n. 2457.* 3. ut adfit adulterium, quando unus tantum machinatus est, vel si desit adulterium, ut uterque machinatus sit ex *n. 996.* 4. ut, ubi requiritur adulterium, sit formale ex

n. 982. §. ut adulterium fuerit verum, hoc est, commissum cum vero, vel à vero alterius conjugē, licet matrimonio solūm rato, aut etiam quoad lectum & lectum separato, ex num. 984. demum ex probabili sententia, de qua num. 1011. ut hoc impedimentum pœnale delinquenti fuerit notum.

2459. Ad e. 1621. addendum in fine illius §. postquam tot Pontifices in matrimonio fidelium rāto tantum etiam quoad ipsum conjugale vinculum dispensarunt, merito reprobari, quod apud Basilium Pontium l. 9. c. 3. num. 3. docet Soto l. 7. de iustitia, q. 2. a. 5. verū & licet peregrè; ac in 4. dist. 27. q. 1. a. 4. dicens: doctrinam affirmantium, id posse summum Pontificem, nec probabilitatis umbram habere.

2460. Ad num. 345. quamvis matrimonium inter absentes, & Procuratorem celebratum valere in ratione Sacramenti, apud Pontium cit. lib. 1. e. 10. n. 2. negent Cajetanus, Canus, Victoria, Rebellus, & alij; longè verius esse oppositum, ut ibid. n. 3. tradit Innocentius in c. Juvenis, de sponsal. num. 5. Hostiensis in summa de sponsal. §. qualiter contrahatur, Valentia tom. 4. d. 10. q. 1. p. 6. & alij. quia contractus matrimonij, legitime celebratus inter fideles, indefinitè à Christo elevatus est ad rationem Sacramenti, si fiat cum intentione debita; consequenter hoc ipso valet etiam in ratione Sacramenti: sed inter fideles absentes, & per Procuratorem contractus matrimonij legitime celebrari potest cum intentione debita: ergo inter fideles, & Procuratorem contractus matrimonij celebratus cum intentione debita etiam valet in ratione Sacramenti. Quare negandum est ex dict. n. 361. quod vult Canus, ad matrimonium, ut valeat in ratione Sacramenti, requiri verba sacerdotis; cum non Sacerdos, sed ipsi contrahentes sint Ministrum huius Sacramenti ex num. cit. negandum etiam est Cajetano, non posse confici matrimonium sine verbis; cum etiam à mutis per signa confici possit Sacramentum matrimonij ex n. 60. & seqq.

2461. Ad n. 83. Not. 1. frequenter dubitari, an cum puella (Berta v. g.) init sponsalia de futuro cum Cajo, & procedere vult ad matrimonium cum illo, debeat illi matrimonium interdici, si tertius (Titius e. g.) eum vocet in iudicium coram Iudice

Ecclesiastico, & petat illi matrimonium inhiberi cum illo, ex causa, matrimonium jam ante sibi promissum de futuro, producendo ad hoc probandum literas amonitionis puellæ, & complures annulos ab eze traditos; R. si literæ contineant formalem promissionem matrimonij de futuro, non esse dubium, rectè interdici ei matrimonium cum secundo sponso; ut constat; cum sponsalia de futuro sint impedimentum impediens matrimonium contrahendum cum alio, ijs non legitime solutis.

Dixi: si literæ contineant formalem promissionem; si enim tantum alia verba amorosa, vel voces teneri amoris indices, quibus amantes, præsertim iuvenes, è mutuo compellere solent, etiam sine cogitationem habeant de incundo conjugio, probatio ex illis literis desumpta, est omnino dubia, & insufficientis ad pronuntiandum pro sponsalibus contra libertatem alterius; & ideo Gobat in Theol. experiment. tr. 10. n. 65. (cum quæstio esset) an promissionem futuri matrimonij significent hæc verba (ich verpfiich dir Lieb, und Treu, promitto tibi amorem, & fidelitatem) Ego, inquit, in continenti facti respondi, videri dubiam formalem; cum possit & amor, & fidelitas sperari in alijs, quam in directæ promissionis matrimonij.

Sed nec nuda donatio annulorum sufficientem præstat probationem promissum de futuro matrimonij; nam, etsi fiat præsertim subarrhatio, hoc est, porrectio, seu immissio annuli, etiam in digitum alterius, nullo tractatu matrimonij, aut sponsalium prævio, fieri potest sine ullo animo, vel cogitatione matrimonij, solum in signum, & memoriam perennis affectus, & amoris, prout sæpius contingit. Et ideo etiam Gobat citatus num. 67. dicit, talem præsertim immisionem factam, & acceptatam, in nostris partibus non sufficere ad sponsalia; aliud esset, si porrigens, & immittens alterius digito annulum simul diceret: trado tibi hunc annulum ass. die 7. kal. off. tize Ehe, seu in ordine ad futurum matrimonium; & puella acceptaret, vel expressis verbis, vel tacens, & nihil contradicens; nisi forte crederet promissionem esse merè liberalem; quo casu dicendum foret juxta dicta à n. 19.

Resolutio porro, præcedent. num. data, confirmari potest ex verbis P. Sanchez l. 1. matr. d. 22. n. 3. sic loquentis: *si verba (de matrimonio seu sponsalibus) unius præcesserit immisso annuli, & receptio operatur verbum expressum alterius consensum; quare, si verbum matrimonij præcessit, operatur (si cetera requisita adsint) matrimonium; si verò sponsalium, sponsalia.* ergo nuda subarrhatio, seu porrectio, & acceptatio annuli, sine alijs verbis, aut signis experimentibus consensum in futurum matrimonium, non probat sponsalia. Unde, cum non dudum evenisset casus, de quo n. 246 r. quòd putativus sponsus, adductis anaulis, & literis amotis, acceptis à Berta, promissa sibi ab hac prius sponsalia probaturus, à Judice Ecclesiastico juberetur literas uni eorum annulorum incisus exponere, non modò ex illis non probaverit contra Bertam, sed positivè contra seipsum. Cum enim eos Characteres annulo à Berta ipsi tradito incisus exponeret, ipse eos in hunc sensum reddidit: *ich bleib dir Treu, bis mir köm die Reu;* fidelis tibi maneo, dum me pœniteat; vix enim quis rectè dicit, ejusmodi dationem annuli continere, vel significare, promissionem futuri matrimonij, ac ex allatis probationibus Bertæ matrimonium cum altero sponso debere interdicti.

Accedit in confirmationem hujus casus, quòd consanguinei Bertæ, cum suspicarentur aliquid de clandestinis amoribus ejus cum Titio, antequam illa Cajo desponsaretur, per viros honestos, Titio intimaverint, quòd occurrente decenti occasione, Bertam matrimonio locare velint; adeoque, ne post sponsalia, si quæ contraheret, & ipsa, & sponsus ejus, allegatione alicujus promissionis, Titio prius factæ, in tribunali sacro infestarentur cum suspensione, ac detrimento sponsorum, declararet, num quid juxta præsentationis erga Bertam haberet? Titius coram ipsdem viris honestis disertè factus sit, Bertam in hoc puncto sibi nullatenus obligatam, posse pro libitu cum alio contrahere, ubi viderit meliorem fortunam; imò sub hoc ipse postremâ epistolâ ad Bertam, jam alteri desponsatam scripserit, se gratulari ei, quòd nacta sit tam bonam fortunam; quin ullum verbum adderet, tantquam egisset aliquid contra obligationem,

quâ Titio teneretur; Ad hunc casum, novissimè propositum à Sempronio, quarrente, num Berta in his circumstantijs, & stantibus his probationibus contra ipsam, & alijs pro ipsa, cohibenda per interdictum Ecclesie ab implendis sponsalibus cum Cajo? videbatur merito dicendum negativè.

Instabat Sempronius, quid dicendum, 2462. si verò sponsalia, præcessissent inter Titium & Bertam; hæc autem sub hoc primum venisset in cognitionem plurimum, quæ faciunt contra Titium, ut meritò omnem animum penitus avertant ab ipso; consequenter, *an illis stantibus, & rite probatis per Judicem cogi posset, ut nihilominus, dimisso Cajo, nubat Titio?* allegabat autem seqq. 1. quòd pecunias liberaliter profundat, quin constare posse, unde sumat; cum nec à parentibus, nec à servitij stipendio annuo, nec obventione ullius hæreditatis, aut donitum ampli, quidquam habere sciatur; 2. quòd, cum in quadam urbe jus civitatis à Magistratu postulasset, rejectus sit, ex fama de ipso non laudabili; 3. quòd passim mulieres infestetur, cum ijs suspectus sit, imò de lapsu pœnaliter notatus apud Magistratum; 4. quòd Berta; ut primum suavis suorum abjecit quadam jocalia à Titio accepta, non modò affectum erga illum omnem deperdiderit, sed etiam argentem animi averfionem ab homine conceperit adeò, ut malit innupta, quàm ejusmodi homini conjuncta vivere: ad hæc videbatur respondendum, his legitimè probatis, nec debere, nec posse cogi Bertam, ut, dimisso Cajo, nubat Titio; cujus ratio est ex n. 315.

Hæc omnia, & singula, quæ in hoc opere à nobis dicta sunt, plenissimè submitto S. Matris Ecclesie judicio, nec aliter dicta volo, nisi quantum sunt juxta

Sanctas ejusdem, & Apostolicas constitutiones.

O. A. M. D. G.

